



# Specimen ethico-theologicum de conscientia

<https://hdl.handle.net/1874/301492>

2

# CONSCIENTIA

PARTICULARIS

SPECIMEN ETHICO-THEOLOGICUM

DE

## CONSCIENTIA.

CONSIDERATION

L.

SPECIMEN ETHICO-THEOLOGICUM  
DE  
C O N S C I E N T I A,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P E T R I H A R T I N G,  
MED., CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

TREOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,


in Academiam Rhenum-Trajectinam,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

GISBERTUS HENRICUS LAMERS,  
Harderovico-Gelrus.

A. D. XXV M. JUNII ANNI MDCCCLVIII, HORA 2½.



Trajecti ad Rhenum,  
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLVIII.

БІЛОРУСЬКА ЛІТЕРАТУРНА ТЕОЛОГІЯ

# А Г Т И З І С І Г О С

ДІМОВИХ ОМІЖІВ АПІЛІЧНІХ

І ПІДІЛІЧНІХ

І РІДІЛІЧНІХ

І ДІЛІЧНІХ АПІЛІЧНІХ ТЕОЛОГІЧНИХ

І ПІДІЛІЧНІХ АПІЛІЧНІХ ДІЛІЧНІХ

І ЗОЛІСТОФІЧНІХ ОСІНІХ ФІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ ДІЛІЧНІХ

І ДІЛІЧНІХ АПІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ ДІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ ДІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ ДІЛІЧНІХ

І АПІЛІЧНІХ

# G I S B E R T O   L A M E R S

VERBI DIVINI MINISTRO

IN

COETU HARDEROVICENO,

P A T R I   C A R I S S I M O ,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS MITTIT

HUJUS LIBELLI AUCTOR.

Tibi, mi Pater! hunc libellum inscribere pietas ac vero  
animus jubet. Tu me juvenem duxisti, Tu studii amorem in  
me aluisti, Tu mihi èt Thelogiam, èt sacrum antistitis mu-  
nus exemplo Tuo commendasti. Hacc laus Tibi debetur et  
a me gratia major.

Summos in Theologia petere honores in animo mihi fuit,  
quod propositum meum bene mihi evenisse magnopere gaudeo.

Te mecum gaudere persuasum ego habeo. Me hanc imprimis ob causam nunc Deo gratum praebere animum Tu credas velim, quod hanc Tibi lactitiam parare mihi contigerit.

Quid plura? mi Pater! in coelum oculos tollo et D. O. M. rogo, ut Tibi jam senescenti me diu adhuc esse hacce in terra gaudio, benignus mihi concedat.

Utinam vires Tuas Tibi Deus sustineat, uxorem, dilectissimam nostram matrem, Tibi conservet, in Ecclesiae, cui servis, commodum ac salutem sacro Antistitis munere per aliquot adhuc annos Te fungi sinat, et hilarem, quoad fieri possit, Tibi tribuat senectutis quietem!

Vale et me diligere pergo.

Scripti Roterdami.

a. d. XVI m. Junii 1858.

## L. S.

Quum ante hunc annum Doctoris gradum petendi opportunitas mihi creata esset, specimen de conscientia scribendum continuo mihi proposui. Me varias, quibus hoc consilium premeretur, difficultates mecum reputantem laeta spes subiit, fore ut studiis academicis vel praeter propositum prolongatis, vel etiam feliciter peractis otium ad hoc argumentum tractandum mihi suppeteret. Haec vero spes me fecellit. Examine Ecclesiastico vix peracto ad grave in Missionariorum, quae hac in urbe est, schola munus obeundum vocatus, studiis meis privatis vacare non potui. Nec tamen a proposito mihi decedendum censui. Hocce anno ineunte, quem jam antea aggressus eram, suscepi laborem, et qualemque disquisitionem in lucem edendam curare institui.

Ecce! nova, ne consilia mea evanescerent, exstiterunt pericula. Gravissimam mihi mox propositam videbam deliberationem, utrum illud, quo nunc fungor, munus retinerem an Evangelio annunciendo vitam viresque dicarem. Quae quantum temporis meis studiis detraxerit deliberatio dicere via possum. Post varia discrimina rerum antisitis munus obeundum praetuli, neque injuriā sane, antequam novum vitae curriculum ingrederer, huic academico operi finem imponendum duxi. Opus vero meum, ut volui, absolvere non potui. Duae quum hic Tibi offeruntur partes, benevole lector! tertiam eandemque ulti-

*mam, in qua doctrinae nostrae lineamenta tradere volui, nunc exhibere nequeo, quod mei certe laboris causa doleo, argumenti autem ratione habita laetor.*

*Doctrina enim de conscientia tale, me judice, habet momentum, ut juveniales vires ei tradendae vix pares sint habendae. Me vero hanc disquisitionem a me absolvit non potuisse, mei ratione habita, dolere, hanc imprimis causam habet. Multa in conspectu historico omisi, quibus in tertia parte, eademque critica, locum designaveram. Nonnullorum quoque, qui de conscientia aliquid scripsere, nomina unice in disquisitione illa critica recensere volui, quippe qui de conscientiae usu practico magis, quam de illius natura egerint. Ut Deus igitur ad haec studia aliquando redire mihi concedat, in ardentissimis votis habeo. Conscientiae magnam vim tribuendam esse in Theologiam dogmaticam universam, certo persuasum mihi est. Graves vero eam ipsam ob causam errores committi existimo, si quis aut conscientiae notionem perversam acceperit, aut aliam, quam revera habet, vim ei tribuat. Haec de opusculo meo praemonuisse sufficiat, quod benevole accipiatur ac legatur animo rogo.*

*Fine ita studiis academicis imposito, varii me annos praeterlapsos recordatum subeunt affectus, qui quum universe melius intimo pectore absconditi manent, gratum tamen iis, qui de me meisque studiis bene meriti sunt, palam profiteri animum liceat.*

*In vestrum memoriam laetus hodie redeo, Viri doctissimi! quibus in Gymnasio Nassavico-Velavico praeceptoriis uti mihi contigit, et qui adhuc in illa aut in aliis Gymnasii schola juventutem ad studia academica parare pergitis. Hoc gravissimum institutionis opus feliciter vobis cedat! Mei autem, discipuli quondam Vestri, memoriam teneatis!*

*Nec minus Tuae mihi jucunda est institutionis recor-*

*datio, amicissime Frater! Vir doctissime! cuius permultis nominibus de me optime meriti laudes satis efferre nequeo. Gratum accipias animum meum neque amore fraterno Tuo me prosequi desinas.*

*Imprimis autem eos nunc cogito, qui in sacra Rheno-Trajectina Musarum sede studiorum duces ac fautores mihi fuerunt.*

*Te compellare liceat, clarissime OPZOOMER! cui animum meum obstrictum sentio, cum ob singularem, quam saepius ornasti, benevolentiam Tuam, tum vero imprimis ob egregiam, laudibus meis longe majorem institutionem Tuam. Praestantissimorum, quae Pater coelestis homini tribuere possit, beneficiorum summam Tibi appreco largissimam.*

*Ad Vos me verto, quos in Theologicis praeceptores habui. Clarissime BOUMAN! Tuam nullum unquam diem in me deleturum memoriam credas velim. Bene de me meritus es. D. O. M. Tibi adsit, et post indefessos Tuos labores tranquillam Tibi concedat quietem!*

*Nec minus Te pie semper colam, clarissime VINKE! Non unam ob causam Te mihi praeceptorem fuisse gaudeo, non uno nomine laudes Tuas ad supremum usque diem efforam. Deus vitam Tuam viresque sustineat in academiae nostrae salutem. Ceterum amicitia Tua me ornare pergas etiam atque etiam rogo.*

*Quod Tibi itidem significatum volo, clarissime TER HAAR! aestumatissime Promotor! Tu pro humanitate Tua multa mihi praebuisti amicitiae ac benevolentiae specimen, quibus animum meum Tibi devinctum teneri certo persuasum habeas! Tu studiis meis egregie favisti, Tu hisce quoque diebus Promotoris officiis mihi praestandis, gratum mihi fecisti. D. O. M. Tibi familiaeque Tuae benignus adsit et permultos annos Te in academiae salutem incolumem servet!*

Hic vestra quoque merita agnoscere liceat, Viri doctissimi VAN DEN HAM et BEETS! sacri muneris in urbe Rheno-Trajectina antistites! cuius utriusque privatae institutioni me adfuisse admodum laetor. Gratum accipiatis animum velim. In gravissimo ac sanctissimo munere Vestro fungendo, et nullo non nomine vobis Deus faveat! Denique vos compello amiciissimi commilitones! quos in curriculo academico sodales habui, quibus si ultimum locum in hoc scripto tribuo, ne quis exiguum me tribuere momentum existinet in academicam, quae mihi fuit, vitam. Immo, quot qualiaque vobis debeam studiorum varia incitamenta sentio melius, quam eloquor. Nomina vestra nuncupare non attinet; me vestrum non obliturum facile creditis, amici! qui sive CALLIOPEPS nomine insigniti collegii socii mihi fuistis, sive VERITATEM SUI VINDICEM sequi conati studiis classicis mecum operam dedistis, sive CHRYSOSTOMEIAS exercitationibus oratoricis affuistis, sive vires mecum intendistis ad Christi regnum inter ethnicos propagandum, sive ultimo nostro academico anno, mecum in religionis nostrae partem dogmaticam inquirendum statuistis, quam congregationem nostram, quum peculiare nomen ei non datum sit, memoriae nostrae eo melius fore commendatam sperare liceat. Vobis omnibus, quorum familiaritate usus sum, per quadriennium meum academicum, gratias dico, quas possum, maximas pro cunctis, quos e consuetudine vestra in me redundasse laetor, fructibus. Quocunque abieritis, aut mox abeat, mei memores sitis! Quod superest, valete iterumque valete!

Scripsi Roterodami,  
a. d. XVI m. Junii 1858.

---

# S U M M A R I U M.

INTROITUS . . . . .	Pag. 1.
---------------------	---------

## P A R S I.

### CONSPECTUS HISTORICUS.

§ 1. Praemonenda . . . . .	8.
§ 2. Divisio . . . . .	9.

### C A P U T I.

#### PERIODUS PRIMA.

1—1500 p. Chr. n.

§ 1. Patres Ecclesiae . . . . .	10.
§ 2. Theologi Scholastici . . . . .	13.

### C A P U T II.

#### PERIODUS SECUNDA.

1500—1800 p. Chr. n.

§ 1. Theologi . . . . .	16.
§ 2. Philosophi . . . . .	23.

## CAPUT III.

## PERIODUS TERTIA.

1800—1858. . . . .	26.
--------------------	-----

## P A R S II.

## SACRI CODICIS DOCTRINA DE CONSCIENTIA.


## CAPUT I.

QUAERITUR, QUID IN VETERE FOEDERE DE CONSCIENTIA SCRIPTUM LEGATUR. . . . .	44.
---	-----

## CAPUT II.

QUAERITUR, QUID IN NOVO FOEDERE DE CONSCIENTIA SCRIPTUM LEGATUR. . . . .	
---	--

<i>Praemonenda.</i> . . . . .	50.
§ 1. Quid in Evangelii de conscientia legitur. . . . .	51.
§ 2. Quid Paulus de conscientia dixit. . . . .	54.
§ 3. Quid Petrus de conscientia dixit. . . . .	90.
§ 4. Conclusio. . . . .	95.



## INTROITUS.

Si religio vere vinculum habetur, quo homo sese cum Deo conjunctum sentit, non sine jure requiritur, ut omne religionis systema, ut in Dei, ita quoque in hominis naturam, quoad fieri possit, studiose inquirat. Quod ad religionis, quam profitemur Christiani, doctrinam attinet, dubito, an hoc semper iis ob oculos fuerit, qui de necessitudine, quae inter Deum atque nos existat, in disquisitione dogmatica scripserint. Etsi enim ab initio in Ecclesia Christiana haud defuerint, qui de homine ejusque natura cogitarent, quod DELITZSCH<sup>1)</sup> accurate exposuit, Theologia tamen arctiore sensu ita dicta, prae Anthropologia Theologorum animum ac studia sibi imprimis vindicabat. Ita Theologi CLEMENTIS ALEXANDRINI<sup>2)</sup> non observabant effatum: ἦν ἀρχή, ὡς ζωκε, πάντων μεγίστων τὸ γνῶναι αὐτόν· ἐαυτὸν γάρ τις ἔξι γνῶν, θεὸν εἰσεται. Non vero est, quod hac de re magnopere miremūr; JESUS ipse de Deo

1) *System der biblischen Psychologie*, 1855, Proleg. § 1.

2) *Paed.* III. I. p. 250.

imprimis veram doctrinam discipulis tradidit, et ubi de homine egit, vitae magis, quam accuratae naturae humanae cognitioni prodesse voluit. Christiani, quod sibi privum ac peculiare videbant, dogma de CHRISTO et de salute per Eum acquirenda, prae ceteris excollere conati, de homine tum demum quaerabant, quum lites Christologicae aut Soteriologicae eos invitos fere eo duxissent. Quod igitur mirari non possumus, graviter tamen dolemus, tanquam multiplicis erroris uberrimum fontem. Quis varia theologica ac philosopha systemata recensere possit, quae per aerae nostrae Christianae saeculorum decursum excogitata, ut opinionum commenta mox delebantur, quia nullo firme nitebantur fundamento Anthropologico? Neque haec unica doloris causa est: ipsae de hominis natura notiones magna parte indefinitae adhuc jacent, cuius rei causa partim certe in difficultate posita est, qua homo sese ipse cognoscere potest, partim vero procul dubio in parva, quae huic argumento navata est, opera Melior autem lux affulget: Theologos cum exteros, tnm in patria nostra, magis magisque ad Anthropologiam attentos, indigestam, quae fuit, molem, jamjam digerere laeti agnoscimus.<sup>1)</sup> Nec Theologi tantum haecce in studia incumbunt; philosophos quoque novae, quae hac nostra aetate, movebantur de animi existentia, lites, ad argumenta Psychologica tractanda duxerunt. Quod vero in primis animadvertisendum, ad Sacrum Codicem multi recurrent,<sup>2)</sup> ut Anthropologiam constitu-

1) Cf. auctores, quos DELITZSCHI l. l. citat.

2) In Anthropologia Biblica exponenda egregie versabantur

ant. Philosophia Aristotelica diu formam dedit quaestionibus anthropologicis, nunc vero jam corum numerus magis magisque creseit, qui Sacras nostras Scripturas haud pauca elementa continere existiment, e quibus doctrina de homine peti possit et vero debeat. Tales nostri quoque sunt conatus in hac disquisitione scribenda. De *conscientia* agentes, haud leve sane argumentum suscepimus. Conscientiae in usu populari magnus semper fuit locus. Quis enim ignorat, si quis nullis admonitionibus, nullis precibus ad virtutem duci possit, ad conscientiam provocari? Quis non adversarium, quem nulla ratione ad veri persuasionem perducere potest, denique admonet, ut conscientiae voci aures praebeat? Quis non maleficum, quem culpae reum habet, si hanc culpam pertinaciter negat, tandem movere conatur, conscientiae morsum nunquam upando? Apud ipsos Veteres crebro fit conscientiae

---

J. T. BECK, (*Umrissz der biblischen Seelenlehre*, 1843). FR. DRITZSCH, (*System der biblischen Psychologie*, 1855). In patria quoque nostra exstiterunt, qui argumenta anthropologica, sacro Codice duce, exponerent, inter alios: D. H. H. TIJSSEN, *Diss. Theol. Pauli Anthropologiam exhibens*, Gron. 1847. TH. J. VAN GRIETHUYSEN, *Diss. Theol. de notionibus vocabulorum σῶμα et τὰρξ in N. T. interpretatione distinguendis*, Amst. 1846. Dr. F. C. VAN DEN HAM, (over de trichotomie des menschen volgens de schrijvers des N. T. Bijdrage tot de Bijbelsche Anthropologie in diario: Jaarbb. v. wet. Theol. D. V. pag. 3.) S. HOEKSTRA (Onderzoek naar het physiologisch gedeelte der christelijke Nieuw-Testamentische Anthropologie, in eodem diario Tom. VII. pag. 658 seqq.)

mentio,<sup>1)</sup> et in eorum uti etiam in recentiorum poësi

1) Si veterum scripta consulimus, multa invenimus quae de conscientia eos cogitasse ostendunt. Ita jam apud HOMERUM, Odyss. 7, 119 seqq. et SOPHOCLEM Ant. vs. 445 seqq. PLATO quodammodo conscientiam ob oculos habuisse videri potest in opere de Rep. L. IX. ubi tyranni characterem pingit. Idem cf. in Phaedro X. Nec tamen ille neque ARISTOTELES multum hac de re tradunt. EPICTETUS de conscientia agit, tanquam custode, a Deo nobis dato. (SCHWEIGHÄUSEN, *Phil. Epict. Mon.* T. III. n. 97, p. 98). SCHENKEL, (HERZOG, *Real. Encyclopaedie* in art. *Gewissen*) causam quare in Graecorum scholis philosophis non ita multum de conscientia disputatum sit, in eo quaerens, quod nondum pugnae sibi concii erant philosophi, quae inter Deum hominemque exstat, nimis certe suam, de qua deinceps, conscientiae notionem ob oculos habuit. Idem I. l. recte animadvertis, crebriorem conscientiae mentionem fieri, appropinquante aerae nostrae Christianae initio. CICERO multis locis de conscientia loquitur. *Grave ipsius conscientiae pondus* memorat (de Nat. Deor. 3. 35) *angorem conscientiae*, Legg. I. 14. cf. de Off. 3, 21. Tusc. 4, 45. Multum bonae conscientiae tribuit Fin. 2, 22. de Off. 1, 9. Epp. ad Atticum 13, 20. Tusc. 2, 26. Ep. ad Familiares 3, 7, 6, 4. De Senectute c. 3. Vocabulo *religio* nonnullis locis, ut de Divinatione 1, 35 (*nec eam rem habuit religioni*) Cat. 3, 6. De nat. Deor. 1, 1, 4, *conscientiam* significari mihi non ita persuasum est, ac STÄUDLINO (*Geschichte der Lehre von den Gewissen*, 1824, p. 16). Quanti SENECA conscientiam aestimaverit, luculenter appareat ex ep. 81: „Nemo mihi videtur pluris aestimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne *conscientiam* perderet.” Cf. de vit. beat. c. 20. Conscientiam testem habendam esse monet: „si honesta sunt, quae facis, omnes sciant; si turpia, quid refert, neminem scire, quum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!” ep. 43. Haec conscientia quum cuique insit „non prodest latere peccantibus,” ep. 97. Secundum Quintilianum (Inst. Orat. 5, 11) conscientia

conscientiae vis vividis interdum pingitur coloribus.<sup>1)</sup> Certe, non leve est argumentum nostrum. Nec vero inutile videtur negotium. Quod de Anthropologia universe diximus, de conscientia praesertim valet. In ipso usu populari lucide apparet, quantopere ejus notio adhuc indefinita habenda sit. Hic vox dicitur, qua Deus ad nos loquitur, illie stella, quae tutos nos ducit: aliis quasi gubernaculum est, quod nostrae vitae eursum dirigit. Et quod in vulgari usu, item in doctrina ethica animadvertisendum est. Minime ROTHE<sup>2)</sup> erra-

---

mille testium locum tenet. In hisce aliisque similibus locis (TAC. epp. 42, 105, 113. PLIN. epp. 1, 8, 22) recta sane exhibetur, conscientiae notio, haud tamen cum SCHENKELIO l. l. dixerim inde effici posse: „dass das Gewissen eine religiöse Beschaffenheit hat.”

1) Cf. JUVENALIS, Sat. 13. PERSIUS Sat. 3. Mythologia de Furiis atque Erinnybus referens conscientiac revera imaginem dedit, quod ipse CICERO testatur. Oratio pro Roscio Amerino c. 24. in PISON. c. 20. Cf. de Legg. 1, 14. Saepe quoque in historia malae conscientiae vis traditur. Ita de BESSO (PLUTARCHUS: „de sera numinis vindicta”). CASSIUS apud PHILIPPOS pugnans Caesarem, quem occiderat, vidiisse narratur, et ne alias citemus, SuetONIUS Neronem conscientia cruciatum esse narrat (NERO c. 34). Inter recentiores egregie malam conscientiam proposuit SHAKESPEARE in op. *Macbeth*.

2) *Theol. Ethik.* I. 264. Item cf. ED. GÜDER (*Stud. und Krit.* 1857, 2<sup>tes</sup> Heft, p. 245) cuius verba citare iubet: „Was ist das doch für ein klägliches Chaos von Positionen und Negationen, von unsichern Thesen und ebenso unsicheren Antithesen, von hin und her schwankenden Definitionen und Explicationen, das uns im Capitel von Gewissen entgegentritt!” Idem in seqq. indicat, si quis compendia adeat de doctrina ethica aut dogmatica, ut de conscientiae natura aliquam notitiam contrahat, hunc mox eo

vit, qui hac nostra aetate frustra adhuc accurate definitam conscientiae notionem quaeri confirmat. Neque est, quod illud valde miremur. De conscientiae doctrina nulla adhuc exstitit satis probanda monographia,<sup>1)</sup> et in plerisque compendiis de doctrina morali hoc argumentum leviter tractatum esse unicuique, hanc in rem inquirenti, statim apparet. De principiis quidem ethices Christianae theologi disputabant, ad ipsa vero hominis principia ethica non semper attendebant. Tali in disquisitione conscientiae magnum locum deberi, sponte intelligimus, nec sane erramus, multum in doctrina ethica ab illa, quam de conscientia habeamus, notione, pendere statuentes. Argumentum autem, quod tractamus, ut non leve neque inutile videtur, ita quoque a nostris diebus minime alienum habendum est. Postquam ut hoc aequa ac cetera argumenta anthropologica bene cognoscerent, ad Sacras Scripturas multi redierunt, novum periculum exstitit, ne nimiam *απίστων* quaerentes, ad scholae diligentiam formarent, quod sparsim in Sacro Codice, in practicum magis quam in theoreticum usum invenitur. Fundamenta potius quaeramus in Sacris II. quam ipsam doctrinam expositam. JESUS atque Apostoli, ut Veteris quoque Foederis autores, ideas quidem, easque praeclaras, Anthropologicas exhibuerunt, minime vero Anthropologiam suis numeris

---

venturum, ut persuasum sibi habeat, „dieses sogenannte Gewisseste unter dem Gewissen theile ein und dasselbe Loos mit dem Ungewissesten unter dem Ungewissen.“

1) Cf. SCHENKEL, HERZOG, *Real. Encyclop.* in articulo *Gewissen*.

absolutam nobis tradiderunt. Ita igitur, Anthropologia ac Psychologia Biblica, quae dicitur, procedat, ut in varias de hominis natura notiones imprimis inquirens, magis magisque manifestum reddat ac perspicuum, quantopere hoc quoque nomine Sacri Libri suam ipsi divinam originem testentur.

Huic labori nostri quoque qualescumque conatus accedant in hoc specimine academico. De conscientia agentes, *primo* conspectu historico exponamus, quae praeceteris memorabiles ad hunc usque diem in Ecclesia Christiana prolatae sint de conscientia sententiae. *Tum* Sacrum Codicem adeamus, ut ipsi notionem Biblicalam de conscientia inde petamus. *Denique* doctrinae, de qua agimus, *lineamenta* quaedam sequuntur.

## PARS I.

### CONSPECTUS HISTORICUS.

#### § 1.

##### *Praemonenda.*

Quum nec Theologi nec Philosophi ut jam vidimus, ad conscientiae doctrinam strenue olim animum attenderint, fieri vix potest, quin hujusce doctrinae historiam tradere admodum difficile sit negotium. Multi quidem de conscientia egerunt, sed tam vagae fere sunt sententiae, ut in argumenti historia locum vix tenere mereantur. Praeterea tantopere loquendi usus fluctuabat, tam parum sibi doctrina constabat, ut qui in historia requiritur, progressum indicare haud ita facile possimus in variis varii temporis hac de re opinionibus. Multae quoque, ut in universa disciplina ethica, ita huc imprimis, lacunae restant, quae nulla ratione expleri posse videntur. Ita recte STÄUDLINUS<sup>1)</sup> difficultatem vidit, quum historiam doctrinae de con-

---

1) CARL FRIEDRICH STÄUDLIN: *Geschichte der Lehre von dem Gewissen*, Halle 1824.

scientia primus scribere instituit, nec si secula, de quibus ille retulit, spectamus, aliter judicamus. Qui vero post hujus viri scriptum editum, nostri seculi anni praeteriorunt, ditionem materiam praebent. Hac nostra saltem aetate, multorum, theologorum imprimis, exstiterunt conatus, quibus disciplina nostra et clarior et firmior evadat. Hanc praesertim ob causam, historicum conspectum disquisitioni nostrae praemitendum esse duximus. Ne vero frustra operam perdamus, de iis, de quibus STÄUDLINUS quoque retulit, breviter agere nobis licet, ea tantum memorantibus, quae in ejus opere emendanda, aut iis, quae scripsit, adjungenda nobis videantur. Ad nostrum seculum progressi, copiosius historiam argumenti enarrabimus.

§ 2.

*Divisio.*

Ex iis, quae de conscientiae doctrina, per seculorum decursum parum sibi constanti, supra diximus, sponte sequitur, talem periodorum divisionem hic dari non posse, qualem in historia exponenda hodie recte requiramus. STÄUDLINUS a primis initis rem repetens primum de Graecis ac Romanis, deinde de Veteris Novique foederis doctrina egit, inde ad Ecclesiae patres processit, et ita ad suam usque aetatem, nulla data divisione, secula percurrit quae post Chr. n. effluxerunt. Quod ad veteres, Graecos ac Romanos, attinet, de iis in introitu quaedam monuimus. Ipsam sacri codicis doctrinam in secunda hujus disquisitionis

parte exponemus. Tantummodo igitur de iis h̄c nobis dicendum erit, qui in Ecclesia Christiana de conscientia egerunt. Eos autem, qui extra Ecclesiam, hoc de argu-  
mento philosophabantur, ideo plane omittere non pos-  
sumus, quo saepius ad hanc disciplinam promovendam  
bonam suam operam attulerint. De hocce hisce limi-  
tibus circumscripto conspectu in partes discernendo co-  
gitantibus nulla nobis melior visa est divisio, quam  
haec tripartita. *Primum* eos scriptores commemorabi-  
mus, qui ab ineunte aera Christiana usque ad instaurata  
Sacra vixerunt. *Tum* de iis agemus, qui inde usque  
ad seculum nostrum fuerunt. *Denique* videbimus, quae-  
nam hoc nostro aevo conscientiae notiones prolatae  
sint.

## CAPUT I.

### PERIODUS PRIMA.

1—1500 p. Chr. n.

§ 1.

*Patres Ecclesiae.*

Praeter CHYSOSTOMUM, quem ex aevo patristico  
unum recenset STÄUDLINUS, ORIGENES et HIERONYMUS  
h̄c in censum veniunt. Ceteri Patres, quantum no-  
vimus, nihil fere de conscientia referunt, et ea quo-  
que, quae apud triumviros nostros reperimus, haud  
ita magni momenti sunt. ORIGENES in *Ep. ad Rom.*

de conscientia loquitur, tamquam genio salutari, qui ita animum hominis dicit, ut a malo illum abstineat, ad bonum vero impellat. Haece imago, etsi minime falsa dicenda, conscientiae propriam naturam non indicat. CHRYSOSTOMUS sapientis conscientiae mentionem facit. In Homiliis interdum egregie conscientia ad exhortandos auditores utitur.<sup>1)</sup> Claram vero conscientiae notionem non exhibet. Interdum illam ipsam legem habet, divinitus nobis inditam, interdum judicem, qui ostendat, utrum illi legi obedientes nosmet ipsos praestiterimus. Utroque sensu est *βείον καὶ πάρα θεοῦ ταῖς ἡμετέραις ἐνιδρυμένον ψυχαῖς*. Ubi vero conscientiam ut legem ipsam proponit,<sup>2)</sup> satis dilucide indicat, se ipsum tamen aliud revera habere legem, aliud conscientiam. De decalogo agens rogat, quare illis praeceptis, quae ad moralia stricte ita dicta, pertinent, nulla addita sit admonitio, qua ipsum legis monitum superstruatur, ut in mandatis ceremonialibus aut universe theocraticis, ut in Sabbathi praecepto, fieri solet. Recte respondet, hoc ideo fieri, quia conscientia de iis, quae ad ipsa moralia pertinent, testimonium edit. Conscientiam ergo non eandem esse ac legem indicat. Ubi CHRYSOSTOMUS de conscientia, tamquam judice agit gravem ejus vim vividis pingit coloribus.<sup>3)</sup> Conscientiae judicium nemo effugere, neque ullo modo infringere potest. Deus

1) *Hom.* 12 in *Ep. ad Rom.* — *Hom.* 3 in II. *Ep. ad Cor.* *Hom.* 14 in *Ep. ad Phil.*

2) *Ad populum Antiochen,* hom. 12.

3) *In psalm.* 7. *Hom.* 16 in *Ep. ad Eph.* *Hom.* 3 in *Jesaiam* 6, 2. *Hom.* 1 et 4 de *Lazaro.* *Hom.* 17 in *Genesin.*

ipse in animo nostro illud posuit. Aliorum judicia negligere possumus, hic vero judex internus, si irascitur, nos persequi non desinet. Mala ideo conscientia prae omni malo gravis est,<sup>1)</sup> bona contra συντήρησις prae honore et divitiis, et corporis bona valedicte aestimanda.<sup>2)</sup>

Restat, ut de HIERONYMO dicamus. Apud hunc Patrem primum vocabulum συντήρησις occurrit, ad conscientiam adhibitum.<sup>3)</sup> Habet enim συντήρησιν pro scintilla conscientiae.<sup>4)</sup> In altera hujus capitinis paragraphe iterum de συντήρησι agemus. Ceterum, quod Ecclesiae Patres attinet, si eos spectamus, qui in Ecclesia Orientali floruerunt, admodum miramur, nullam fusiorem conscientiae doctrinam apud eos inveniri, quum a studiis anthropologicis minime alieni fuisse videantur. Latinorum Patrum studia, duce imprimis AUGUSTINO, alio tendebant; PELAGIUS autem ad conscientiam attendit, et inde etiam quod illa homini inest, efficere studuit, bonum nequaquam plane ex hominis natura evanuisse. Haec pauca sufficient de Ecclesiae Patribus.

1) *Hom. 12 in Ep. ad Rom.*

2) Eandem, quam CHRYSOSTOMUS dedit, conscientiae ut judicis notionem PHILO JUDAЕUS exposuit, qui idem de bonae malaque conscientiae vi egregie monet. (*De X Oraculis. Quod deterius insidiatur potiori. alibi.*)

3) GREGORIUS NAZ. hoc vocabulo indicat vinculum, quod animalium cum corpore conjunctum tenet.

4) *In Ez. 4.*

§ 2.

*Theologi Scholastici.*

Quod in hujus conspectus *Praemonendis* de lacunis diximus, quae in argumenti nostri historia exstant, hīc imprimis obtinet. *Poenitentiarum enim libris*, qui a seculo inde 6° exstiterunt, exceptis, nulla, quantum comperti sumus, conscientiae gravior mentio fit ante seculum duodecimum. Neque est, quod de his *poenitentiarum libris* agamus, quum non alio nomine hīc commemorari mereantur, quam quatenus ad *Summas Casuum Conscientiae* viam paraverint. De hisve vero deinceps dicendum crit. Prioribus ergo medii aevi seculis omissis, ad aevum scholasticum accedamus. Primus nobis occurrit *BERNARDUS Clarovallensis*, qui sine ulla subtilitate scholastica in argumento nostro versatus est. Nec vero in conscientiae naturam strenue inquisivit. Bonae tantummodo conscientiae laudes effert, et in hisce laudibus efferendis, oratorem omnino agit. „Bona conscientia,” eo auctore „est titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hor-tus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca foederis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum spiritus sancti.”<sup>1)</sup>

*PETRUS LOMBARDUS* inquirit, quatenus conscientia erronea obliget, ceterum de ipsius conscientiae natura non agit.<sup>2)</sup> Hic vero sententiarum Magister

1) *De inter. dom.* c. 22.

2) Cf. *STÄUDLIN*. l.l. p. 65.

primus methodum scholasticam in disciplinam ethicam adhibuisse videtur. Inde extiterunt, quas jam nuncupavimus, *Summae casuum conscientiae*, quarum duae imprimis inclaruerunt, *Astesana* altera, altera *Angelica* dicta. STÄUDLINUS fusius de his libris egit, non vero multum in iis de ipsa conscientia scriptum legitur. Unice fere de conscientia erronea agitur, ac quaeritur, ut apud Lombardum, utrum et quatenus voluntas humana tali conscientiae morem gerere debeat. In *Angelica* vocabulum *συντήρησις*, quo jam HIERONYMUM usum esse vidimus, saepius invenitur. *Synteresis* ibi conscientiam sequitur ita ut quod per conscientiam mentis judicio probatum sit, per *synteresin* voluntati efficiendum tradatur. Aliter THOMAS AQUINAS judicat, qui *synteresin* „habitum naturalem” dicit, „ad bonum infligantem, et de malo murmurantem”<sup>1)</sup> conscientiam autem ita definit: „conscientia est actus, quoddam mentis dictamen, actualis applicatio scientiae ad ea, quae agimus; efficaciam habet a synteresi.”<sup>2)</sup>. Conscientiam *actum* esse THOMAS AQUINAS probare studet ex ipso vocabulo, quod quum sit „scientia cum alio”<sup>3)</sup> eo judice „ordinem scientiae ad aliquid importat.” Talis autem conscientiae natura postulat, ut *actus* dicatur, non vero *potentia*: neque obstat, quod Apostolus PAULUS *συνείδησιν* inquinari Tit. I: 15

1) S. I. Qu. 79, art. 12.

2) S. I. Qu. 79, art. 13.

3) SCHENKEL l. l. THOMAE AQUINATIS sententiam refert, conscientiam esse „scientia cum alio, quod scimus.” Fortasse vero auctor significare voluit, conscientiam esse scientiam, quae aliud quidquam extra nos positum spectet.

dicit. Ipse THOMAS AQUINAS conscientiam quoque *subjectum peccati* nominat, quod tamen ita explicat, ut quis per conscientiam se inquinatum esse sibi conscientius sit. Non magis e PAULI dicto, eadem ratione explicito, effici potest, conscientiam false pro actu haberi. Ita THOMAS AQUINAS. Accedimus ad ALBERTUM MAGNUM. In hoc auctore luce clarius patet, in quales errores Scholasticismus inciderit, schematismus Aristotelico deditus. Moralis hominis natura prorsus ingenio dialectico cessit, conscientia partim quidem in ipsa hominis natura inest, partim vero continuo habitu acquiritur.<sup>1)</sup> Duplex ergo conscientia est, altera innata, acquisita altera. Synteresis, auctore ALBERTO M., ipsius animi potentia est. Superest ut de ANTONIO FLORENTINO agamus. Hic in synteresi definienda longus est. „Est naturale lumen rationis quo resistimus omni malo.”<sup>2)</sup> Peccare neque errare potest, 1°. quia natura sua concupiscentiae contraria est. 2°. quia contra peccatum strenue murmurat. 3°. quia ad superiorem rationem pertinet.<sup>3)</sup>

1) S. XVIII, 469.

2) S. III, 9, 10, 11.

3) Vidimus, quid HIERONYMUS, THOMAS AQUINAS, ANTONIUS FLORENTINUS de *synteresi* (perperam saepius *synderesis* scribitur) dixerint. Universe *synteresin* vocarunt scholastici bonum illud absolutum, quod in natura humana remansit; cuius boni habitus ad peculiaria acta actualem applicationem *synecidesis* nomine significarunt. Unde vero vocabulum *συντήρησις* petitum sit, non liquet. STEPH. Lexic. putat, a scriptoribus Ecclesiasticis illud ad Latini vocabuli *religio* sensum formatum esse, quum eadem fere significatione mente, memoria, attento animo aliquid teneri indi-

Conscientia, auctore ANTONIO FLORENTINO, *actus* est, isque triplex, quum testetur, accuset, et damnet aut condemnet. Triplici hocce titulo ad mentem rationis que judicium pertinet.

Antequam ad sequentem periodum pergamus, verbo monere juvat, GERSONEM systemati, quod dedit, mystico<sup>1)</sup> disputationem praemisisse de animi facultatibus. De conscientia non agit, quae vero de synteresi scribit, eadem fere sunt, quae ANTONIUS FLORENTINUS habet.

---

## C A P U T II.

### PERIODUS SECUNDA

1500—1800.

#### § 1.

##### *Theologi.*

Medii aevi Theologia Scholastica, ut vidimus, dialectico acumine conscientiae doctrinam exposuit, Ecclesia vero ipsa Romano-Catholica conscientiae homi-

---

cet. THEOD. KRÜGER (Theol. Mor. 1747) dicit, conscientia si syllogismus practicus habetur, synteresin esse propositionem maiorem, et syncidesin propositionem minorem. Cf. DELITZSCH, l. l. pag. 107. FR. H. CHR. SCHWARZ, *Evangelisch-christliche Ethik*, I. pag. 159, 3<sup>e</sup> Aufl. Ceterum cf. quod supra p. 12. n. 3. monuimus.

1) *De Theol. myst. specul.*

nis haud magnam auctoritatem tribuit, quippe quae Ecclesiae statutis ac voluntati omnino cedere debeat.<sup>1)</sup> Reformatores ad individuum hominis characterem attendeant, neque uno tantum nomine Sacrorum instauratio, quam hoc, de quo nunc agimus, aevum tulit, a conscientia profecta esse dici meretur. Ad conscientiam LUTHERUS haud semel provocavit. Ipse experientia edocitus mali conscientiam describit, quae contra peccatorum testata, nullam ei quietem concedit nisi peccatorum remissione a Deo impetrata, et quae tum demum in bonam partem abit, quum Dei gratia in CHRISTO homini peccati conscio tradita sit. Conscientia, LUTHERO auctore, necessitudinem indicat, eum religiosam, tum ethicam, quae Deum inter ac hominem exstat, per se existit, et quum aeterna sit atque deleri non possit, prae omni lege et jure homini pie ac sincere colenda est.<sup>2)</sup>

MELANCTHON iterum scholasticos secutus, conscientiam ad intellectum revocavit, *notitiam* eam dicens *accusantem* aut *approbantem*.<sup>3)</sup> Alibi *conscientiam syllogismum practicum in intellectu* dicit, *in quo major est lex sive verbum Dei, minor vero et conclusio sunt*

1) Recte HERZOG *Real-Encyclopaedie*, Tom. V, p. 135 scribit: „der römische Catholicismus schränkt durch das Verhältnisz, in welches er den Einzelnen zur Gemeinschaft stellt, die Sphäre des Gewissens in enge Grenzen ein, die freilich, je wie man es nimmt, auch als zu grosze Erweiterung, als Relaxation erscheinen.”

2) Cf. LUTHERI Opp. Ed. Walch. X, 958 seqq. XI. 2392, 3050.

3) *Commentarius de anima*. Ed. Vitebergae 1540, p. 215. Ibidem hanc *syntereseos* definitionem exhibet: „*syntesis* significat conservationem notitiae legis, quae nobiscum nascitur.”

*applicatio, approbans recte factum, vel condemnans delictum, quam approbationem in corde sequitur laetitia, et condemnationem dolor.*<sup>1)</sup> Deus homini conscientiam indidit, ut testimonium ederet cum de ipsis Dei existentia, tum de divino judicio. CALVINUS quoque conscientiam ad intellectum pertinere censet. Melius autem, quam MELANCTHON ad intimum hominis animum attendit, quo sese cum Deo conjunctum sentiat.<sup>2)</sup> Videmus ergo Reformatores, etsi ea via progressos, qua conscientiae doctrina optime procedere possit, non multum tamen ad hanc disciplinam excolendam attulisse. Causam si quis querit, Theologiam dogmaticam prae disciplina ethica hac periodo excultam esse secum reputet. Quod vero de primis sacerorum instauratoribus valet, itidem de iis obtinet, qui eos in Protestantium Ecclesia hoc et sequenti seculo secuti sunt. GERHARDUS in *Loci Theologicis conscientiam definitione illustrat.*<sup>3)</sup> CALIXTUS in systemate morali multum de conscientia dubia, probabili atque erronea disputat, ipsius autem conscientiae naturam haud clare exponit.<sup>4)</sup>

---

1) *Definitiones Theologicae.*

2) Inst. I. 4. 10. 3. „Est enim quiddam inter Deum et hominem medium, quia hominem non patitur in se ipso supprimere, quod novit, sed eousque persequitur donec ad rectum adducat.”

3) JOH. GERHARD, *Loci communes Theologiei* 1629, III. p. 67. „Conscientia est testis dictorum et factorum nostrorum domesticus et individuus.

4) G. CALIXTUS, *Epitome Theologiae moralis* 1634, p. 19. „Conscientia est dictamen intellectus practice practicum, sive antecedens, i. q. singulorum aliquam actionem his illisque circumstantiis determinatam praecipiens vel prohibens, sive actiones sequens, i. q.

Interea in Ecclesia Evangelica *casuistica* quoque disciplina prodiit. BALDUINUS<sup>1)</sup> primus huic doctrinae operam dedit, quem mox sequebatur OLEARIUS.<sup>2)</sup> Utriusque autem hujus moralistae sententiam, per se satis levem aestimandam, hic copiose referre eo minus opus est, quum STÄUDLINUS I. l. de utroque fusius egerit, qui eodem loco exponit, quo nomine Evangelicorum *casuistica* doctrina ab illa differat, quae in Romano-Catholica Ecclesia viget.

Quod ad hanc Ecclesiam attinet, Jesuitae hac periodo exstiterunt, novam casuum conscientiac molam afferentes. Quum vero iis, quae antea de hoc arguento a scholasticis prolata erant, nihil fere novi addiderint, hos omittamus, monentes, eos conscientiam omnino neglexisse,<sup>3)</sup> quippe qui ne de probabili quidem conscientia agant, sed de probabilibus opinionibus unice cogitent. Redeamus ad Theologos Reformatos.

Ineunte seculo 18° melior lux disciplinac nostrac affulsit, quum et systematice et exegetice conscientiae doctrinam magis enucleandam curae habere cooperint Theologi. BUDDEUS in hoc arguento tractando lon-

---

supposita earum recordatione dictat, eas vel recte vel perperam esse factas."

1) *Tractatus de materia rarissime adhuc enucleata, casibus nimurum conscientiae.* 1654.

2) *Introductio brevis in Theol. Casuist.* 1694. STÄUDLIN. I. l. p. 121 animadvertisit, hunc auctorem primum ad etymologiam vocis *conscientia* (*scientia cum*) attendisse. Minus recte, quum jam THOMAS AQUINAS ad illud attenderit.

3) PAUL LAYMAN, † 1635. Jesuitarum ordini adscriptus, in exordio systematis, quod edidit de *Theol. mor.* de conscientia agit.

gus fuit.<sup>1)</sup> Ad intellectum *conscientiam* refert, eamque cerni existimat in judicio, quod homo fert de iis quae peregit, ad legem simul attendens, quae, quid fieri debeat, monet. Quaeritur, utrum conscientia *actus* sit, *habitus*, an *potentia*. BUDDEUS inanem hanc litem judicat, quum syneidesis in *potentia* exstet, nec semper in *actum*, nedum in *habitum* exeat. De *synteresi* agit, ut *conscientia*, ampliore sensu sumta, quippe quae universa tantummodo principia spectet, nondum ad singula acta relata. Ceterum fuse in *falsam*, *incertam*, et *probabilem* conscientiam inquirit.

Ad MOSHEMIUM accedimus.<sup>2)</sup> Hic queritur, ab aequalibus conscientiam omnino fere ad *intellectum* referri. Concedit, in Sacro Codice, quem BUDDEUM secutus, hoc quoque in argumento tractando strenue adiit, syneidesin plerumque pro mentis judicio haberet, monet vero principium exquirendum esse, e quo haec, quae menti est, judicandi facultas oriatur.<sup>3)</sup> Animadvertis, multos homines de factis suis nullum judicium proferre, nec tamen iis conscientiam esse abnegandam. Conscientia igitur, quippe per se extans, a judicio illo secerni debet. Principium, quod MOSHEMIUS quaerit,

---

1) *Inst. theol. mor.* a<sup>o</sup> 1711.

2) *Sittenlehre der heiligen Schrift*, III. S. 209—272, a<sup>o</sup> 1735.

3) Minus recte SCHENKELIUS I. l. MOSHEMI sententiam refert, dicens, cum conscientiam inter intellectus facultates recensuisse. Melius GÜDERUS l. l. p. 266 eum conscientiam voluntatis facultatem habuisse scribit. Conscientia, auctore MOSHEMIO, quamquam in judicio revera cernitur, et ad intellectum igitur pertinet, e voluntate tamen originem dicit.

in voluntate sibi invenisse videtur. Conscientia culpam homini exprobrat. Ubi vero culpa ostenditur, de voluntate peracta sermo est. Conscientia ergo e firmo voluntatis proposito oritur, quo de iis, quae agimus, ad normam legis, judicamus. Quia conscientiae sedes in voluntate est, duplex quoque conscientia exstat, eorum qui a Christo adhuc remoti errant, peccato obnoxii, et eorum, qui Christum fide amplexi, ab illo ad sanctam vitam ducuntur. Ita MOSHEMIUS prorsus novam doctrinam tradidit.

BAUMGARTENIUS non ita diu post MOSHEMIUM de *Theol. morali* agens, ad consuetam definitionem rediit, conscientiam in judicio consistere putans, quod legis normam secuti, de factis nostris ferre debemus. REUSSIUS in *Elementis Theol. mor.* primus, quantum novimus, conscientiae naturam ita exposuit, ut Dei quoque rationem haberet. Ejus hoc de arguento disputatio pluribus nominibus laudanda est. Hominem Dei sibi conscientium legem divinam in se habere ostendit, quam strenue colere debeat, quae vero si violetur, exprobationibus peccatorem persequatur. Quomodo autem hujus conscientiae natura atque effectus cum tota hominis essentia cohaereant, non dilucide exposuit. CRUSSIUS<sup>1)</sup> ad hunc nexus explicandum divinitus nobis proclivitatem insitam esse docuit, qua et, quod revera bonum est, ut placitum divinum accipiamus, et simul huic placito obsequendum esse intimo animo sentiamus. LESSIUS iterum prae religioso ethicum conscientiae

---

1) *Moral-Theologie*, I. § 41, 42. Lipsiae 1772.

momentum exposuit, hanc facultatem ei tribuens, ut de ethico hominis charactere judicet.

JOH. ANDR. CRAMER<sup>1)</sup> varias, quae hue usque de conscientia prolatae erant, sententias, recensuit; et indigestam hic extare molem questus est. Eos refutare voluit, qui conscientiae proprium suum characterem tribuentes, eam ut alteram legem proponunt. De variis distinctionibus egit, quas Theologia casuistica in hanc doctrinam induxit easque ut inanes rejicit. STÄUDLINUS l. l. copiosius de hoc Theologiae casuisticae critico egit, cuius ingenium quidem laudat, in quo vero improbat, quod conscientiae locum, quem adhuc in Theologia morali tenuerat, prorsus eripere voluerit. REINHARDUS<sup>2)</sup> locum de conscientia admodum breviter et leviter etiam tractavit. Religiosum in conscientia inesse momentum, CRUSIUM secutus statuit, conscientiae vim in eo cerni existimans, quod in cogitando atque agendo Dei memores, quid Ille velit, rogemus. Ita, Dei placa curantes, ad perfectum statum ethicum, REINHARDO auctore, pergimus. Partim jam ad nostrum seculum ille pertinet. Hic ergo haec periodus, quod ad Theologos attinet, clauditur.

---

1) In dario : *Beiträge zur Beförderung theologischen und anderer wichtiger Kenntnisse von Kielischen und auswärtigen Gelehrten*, Tom. IV, 1783.

2) *System der christlichen Moral*, I. 1, 4. p. 262, 705—707.

§ 2.

*Philosophi.*

Universam Anthropologiam quum philosophi ante KANTIUM non magnopere curaverint, non miramur, eos conscientiae quoque doctrinam parum excoluisse. Breviter enarremus, qui hoc nomine laude digni videantur.<sup>1)</sup>

HORNEYUS<sup>2)</sup> in loco de *libero arbitrio* de conscientia agit, quam ut legis cum naturalis tum divinae praeconem describit, qui efficit ut hanc legem agnoscamus, eique obedientes nosmet ipsos praestemus. Primus in Germania fuisse videtur, qui philosophiam moralem tractaverit. Ceterum eclectice in hac disci-

1) Seculo 17° conscientiariorum secta exstitit, de qua hic verbo monere lubet. MATTHIAS KNUTZEN ejus auctor fuit. Juvenis theologiae operam dedit, mox vero a religione alienus in Atheismum irruit. Conscientiam pro Deo habuit, atque huic per magnum premium tribuere sibi visus est. Anno 1674 Jenam venit, ubi MUSAEUS pugnam contra eum iniit. HARTNACK (*Hist. ecclesiae auctore MICRÄLIO*, p. 2289) hisce thesibus sistema KNUTZENII absolui dicit: 1° non esse Deum neque diabolum, 2° magistratum nihil aestimandum, templa contemnda, sacerdotes rejiciendos, 3° loco magistratus et loco sacerdotum esse scientiam et rationem cum conscientia conjunctam, quae doceat honeste vivere, neminem laedere et suum cuique tribuere, 4° conjugium a scortatione nihil differre, 5° unicam esse vitam: post hanc nec praemium nec poenam dari, 6° scripturam sacram secum ipsam pugnare.

2) Ethicae sive civilis doctrinae de moribus libri IV, quibus tota ista disciplina non tantum ex Aristotele, sed optimis quibusque veteribus et recentibus auctoribus fuse explicatur, 1625.

plina versatus est, neque a Jesuitarum studiis casuisticis plane alienus fuit.

SPINOZA<sup>1)</sup> in loco de *affectibus* conscientiam nominat. Ejus effectum indicat, naturam autem nulla luce illustrat.

SHAFTESBURYUS<sup>2)</sup> conscientiam sensum moralem habet, quatenus vero religiosa est, religiosum illud a morali charactere originem dicit. Conscientia in eo consistit, quod homo sentiat se non talem semet praestare, qualis revera esse possit ac debeat.

WOLFIUS quaerit, utrum et quatenus homo contra conscientiam agere valeat.<sup>3)</sup> Distinctiones amat, ut vero recte STÄUDLINUS I. I. monet, nihil, quod magni momenti sit, hac in parte, praestitit.

KANTIUS multa habet, quae argumentum nostrum spectent; quae vero copiose exponere non fert instituti nostri ratio. Rationem de singulis actionibus judicium ferre docuit, non vero conscientiam. Haec tantummodo postulat, ut si quid agendum aggrediamur, bene nobis consciī simus, hoc recte ita fieri. Conscientia igitur sibi ipsi postulata affert.<sup>4)</sup> Ratio quoquā humana, quatenus practica est, in conscientia ipsa de se judicare dici potest, quum syneidesis quaerat, utrum recte ratio de bono aut malo judicium tulerit.<sup>5)</sup>

1) P. III. prop. 18, obs. 2. prop. 59, n<sup>o</sup>. 17.

2) *An enquiry concerning virtue.* B. II. P. 2. S. 1.

3) *Vernünftige Gedanken von der Menschen Thun und Lassen,* Halle 1752.

4) „Das Gewissen ist ein Bewusztseyn, das für sich selbst Pflicht ist.“

5) „Das Gewissen ist die sich selbst richtende moralische Urtheilskraft.“

Ita KANTIUS primum de conscientia cogitavit<sup>1)</sup>. De conscientia universe locutus, revera bonam conscientiam ob oculos habuisse videtur. Negavit etiam, quod necessario sequitur, hanc, de qua egerit, conscientiam, unicuique homini actualiter inesse. Postea autem definitionem mutavit.<sup>2)</sup> Tunc conscientia ei practica ratio visa est, quae in quoquam legis proposito, quid fieri debeat, ostendit, et simul ad id perpetrandum, quod bonum sit, impellit, quum in interno animo tribunal adsit.<sup>3)</sup> Hac definitione data, recte KANTIUS unicuique conscientiam tribuit. STÄUDLINUS l. l. quid KANTIUS altero illo de conscientia effato, quo internum tribunal habetur, sibi voluerit, exposuit.

SCHMIDIUS<sup>4)</sup> KANTIUM secutus in conscientiae, posteriore illa significatione sumtae, naturam denuo inquisivit, novasque distinctiones attulit. Tria in conscientia distinguit, 1° judicium morale, 2° sensum moralis, 3° sensum religiosum.

FICHTIUS priorem, quam KANTIUS dedit, conscientiae definitionem amplexus est. Monet, unicuique hanc boni conscientiam parari debere et posse.<sup>5)</sup> Jam vero ad seculum nostrum progressi sumus.

1) In libro: *Religion innerhalb der Grenzen der bloszen Vernunft*.

2) In op. *Tugendlehre*, p. 37—39.

3) „Das Gewissen ist das Bewusztseyn eines innern Gerichtshofes im Menschen.”

4) C. c. F. SCHMID, *Moral-philosophie*, 1793.

5) *System der Sittenlehre nach den Principien der Wissenschaftslehre*, p. 225 seqq.

C A P U T III.

PERIODUS TERTIA.

1800—1858.

Multi fuerunt, cum theologi, tum philosophi, qui hoc nostro seculo in systemate ethico conscientiae locum suum tribuerint. De singulis, quorum notitiam contrahere nobis contigit, singulatim agamus, ita vero ut nunc non iterum theologos ac philosophos separatim enarramus. Primum de Romano-Catholicis videamus. Hoc seculo ineunte MUTSHELLIUS *Theologiam moralem* edidit, in qua conscientiae quoque mentionem fecit<sup>1)</sup>. Ejus vim in judicio screndo posuit, ita vero, ut nequam efficiat, utrum quid per se bonum sit, sed potius internum testimonium edat, eum, qui egerit, spectans, utrum revera probe recteque egerit. Conscientia, si de ipsis actionibus judicaret, utrum bonis an malis sint adscribendae, facile errare posset, quum vero tantummodo ei, qui aliquid perpetravit, ostendat, bene aut male illud actum esse ab illo, errori obnoxia esse non potest. Ad intellectus igitur facultates MUTSHELLIUS conscientiam retulit. Ita plerique Romano-Catholici, qui doctrinae ethicae operam navabant, eos sequebantur, qui praecedenti periodo de conscientia scripserunt. Unus, quantum novimus, HIRSCHERUS<sup>2)</sup>, quem hic,

1) *Moral-Theologie*, 1802. Tom. I. Pag. 226. 238.

2) J. B. VON HIRSCHER, *Christliche Moral, als Lehre von der*

etsi multis annis post MUTSCHELLIUM vixerit, nominare liceat, aliter statuit. Conscientiam ille in voluntate positam esse putavit, qua ad illud, quod verum est, homo ita ducatur, ut ei, tamquam legi divinitus datae obsequi debeat. Ceterum, Ecclesia Pontificia ad disciplinam nostram provehendam hoc nostro quoque seculo non multum praestitit.

Ad Protestantum Ecclesiam transimus. Primus hic occurrit DAUBIUS, qui philosophiam cum theologia jungens, de ethica quoque disciplina bene meritus est. Acute, ceteras distinctiones rejiciens, de conscientia *absoluta*, *objectiva* ac *subjectiva* egit<sup>1)</sup>. Quam *rationem practicam* KANTIUS habuit, DAUBIUS conscientiam *absolutam* dixit. Legem esse statuit, externam, homini datam, cuius cum homine necessitudinem conscientia *objectiva* testetur, quum interna *subjectivae* conscientiae vox eum laudet, si huic legi obedientem se praestiterit, cum vero increpet, si contra hanc legem egerit. Multum est in hac DAUBII disputatione, quod legi meretur.

WETTIUS pauca de conscientia habet. Universe ad *sensem moralem* eam retulit<sup>2)</sup>.

Brevi post WETTIUM, SCHWARZIUS Ethicam Evangelico Christianam edidit.<sup>3)</sup> Videamus, quid ille de con-

*Verwirklichung des göttlichen Reichs in der Menschheit.* Tüb. 1836, cuius op. 5<sup>a</sup>. ed. prodiit a<sup>o</sup>. 1851.

1) *Vorlesungen über die Willensfreiheit*, 1806.

2) W. M. L. DE WETTE, *Christliche Sittenlehre*, I. 90. a<sup>o</sup> 1819.

3) F. H. CH. SCHWARZ, *Evang.-christl. Ethik. Lehr- und Handbuch für Theologen und andere gebildete Christen*. Heidelb. 1821, cuius op. ed. 3<sup>a</sup> prodiit, a<sup>o</sup> 1836.

scientia scripserit. Per conscientiam Deus unicuique voluntatem suam indicat. Libertatis nostrae nobis consciī nos tamen pendere sentimus a potestate, supra nos posita, quam ut Numen supremum adoramus. Hunc sensum ipsa natura nobis dedit.<sup>1)</sup> Conscientia ergo nostra ad Deum fertur, et quodammodo *religio* dici potest. Dum vero Deum spectat, ad nos ipsos etiam referri potest, et ita sumta, nostri conscientiam indicat, qua quo voluntas nostra ducatur nobis persuasum habemus.<sup>2)</sup> Conscientia illa fundamentum praebet, quo omnis doctrina ethica superstrui debet. Quum Dei voluntatem nobis ostendat, ipsa quodammodo lex est, cui unusquisque obediāt necesse est. DAUBIUM secutus SCHWARZIUS conscientiam esse *absolutam*, *objectivam* et *subjectivam* statuit, aut potius conscientiam *absolutam* et *relativam*, quarum posterior iterum in *objectivam* et *subjectivam* abeat. Ipse autem hanc distinctionem, si propriam conscientiae naturam spectemus, vix valere agnoscit.<sup>3)</sup> Conscientia revera nihil aliud est nisi ipsa ratio nostra, quatenus per eam Deum et nosmet ipsos cognoscamus.<sup>4)</sup> Sed inde conscientia exstitit, quod peccatum a Deo nos sejunxit. Peccato enim si quis non obnoxius est, conscientia tollitur,<sup>5)</sup> quum vero omnes legem divinam volemus, conscientia nos arguit ac judicium contra nos profert.<sup>6)</sup> Multa

1) *Ethik.* Tom. I. Ed. 3<sup>a</sup>. p. 152.

2) l. l. p. 154, p. 165.

3) l. l. p. 156.

4) l. l. p. 157.

5) l. l. p. 174.

6) l. l. p. 175.

hic SCHWARZIUS egregie scripsit. Principium autem, e quo omnia, quae de conscientia habet, effata, exeant, frustra quaerimus.

Tale vero principium quaerendum esse, jam STÄUDLINUS, de quo nunc agendum est, agnovit. Libro<sup>1)</sup> saepius laudato, quem scripsit, argumenti nostri historiam exhibenti, nonnullas animadversiones adjecit de ipsa conscientiae doctrina. Duplicem per seculorum decursum prae ceteris viguisse conscientiae notionem ostendit, quarum alteram si sequimur, internum judicem habemus conscientiam, alteram vero si amplectimur, conscientiam eandem esse existimamus ac persuasionem de factis nostris, utrum bona sint an mala. Qualicumque tandem modo utramque hanc notionem conjungendam esse duxit. Ceterum laudat, si quis conscientiam definiens, ad Deum, summum Legislatorem, ad quem syneidesis quoque nostra nos ducere debeat, attendat.<sup>2)</sup>

---

1) CARL FRIEDRICH STÄUDLIN, *Geschichte der Lehre von dem Gewissen*, Halle 1824.

2) Eodem tempore, quo STÄUDLINUS haec scripsit, apud nostrates EWALDUS KIST orationes sacras quinque de *conscientia* edidit. (Dordraci Ed. 2<sup>a</sup>. 1824). Diversas, quas conscientiae adscribit partes, ex una eademque animi proprietate dicit, qua quid facere debeamus, memoriae nostrae tradatur, quae simul, quideunque agamus, testem nobis addat, ac postquam perpetraverimus, judicis vocem ut audiamus, efficiat (p. 15). Quaenam autem sit haec animi proprietas, non explicat. Lata sane est et multum complectitur, nec mirum, auctorem alibi (p. 39) conscientiam pro ipso animo habuisse. — Egregie tamen vir laudatissimus, Ecclesiae nostrae quondam ornamentum, de conscientia, quae dicitur, erronea, loquitur in oratione, ordine quinta, quae agit de loco: *Eph. 5; 10.*

Longe aliam de conscientia protulit sententiam VINETUS<sup>1)</sup>. Philosophos ac theologos hoc argumentum fere neglexisse vehementer dolet. Traditoriam esse opinionem statuit, qua per syneidesin et nobis persuasum habeamus, aliquid nobis esse praestandum, et vero, quid illud sit, cognoscamus. Sana philosophia, illo judice, hanc sententiam rejicit. Conscientiae characterem in eo positum esse duxit, quod necessarium ducamus, ut in agendo persuasioni convenienter versemur. Ipsa illa persuasio errare potest, sed in eo errare haud possumus, quod id perficere debcamus, quod nobis persuasum habeamus<sup>2)</sup>. *Fidem igitur moralem* conscientiam dixit<sup>3)</sup>, qua credimus, quidquam nobis praestandum esse. Alibi<sup>4)</sup> vero ad Deum conscientiam refert, cum lege divina conscientiam jungens. Luculenter exponit, conscientiam ipsam per se nulla jura habere, sed eo firmiore fundamento niti, quo magis legem divinam ut normam sequatur, legem contra divinam, per hominum perversitatem variis modis saepe explicitam, dummodo conscientiae vox loquatur, unam suam ac sibi constantem

---

1) *Essai sur la conscience et sur la liberté religieuse ou examen du rapport présenté au grand Conseil du Canton de Vaud, par le Conseil d'Etat, le 30 Mai 1829* par A. VINET. (Paris et Genève 1829). VINETUS anonymous scriptum ediderat ad conscientiac ac religionis jura vindicanda. Hoe scriptum litterae illae spectabant, in quas ut in titulo est in specimine, quod nunc laudamus, VINETUS critice inquirit. Tria argumenta auctor in hoc specimine tractat, quorum primum ad conscientiae doctrinam pertinet.

2) l. l. p. 54—56.

3) l. l. p. 62.

4) l. l. p. 47.

habere interpretationem. Multum, ut hīc, ita quoque aliis in scriptis, VINETUS conscientiae tribuit.

HARLESSIUS non minus, quam VINETUS, conscientiae laudes effert<sup>1)</sup>. Internam illam patefactionem habet, qua Deus homini se cognoscendum praebet, et stimulum illam homini addere censet, quo ductus ad coelestia tendat. Universe igitur religiosum momentum conscientiae tribuit.

SCHLEIERMACHERUS, quod miramur, ad doctrinam de conscientia illustrandam nihil fere novi attulit. Ad religionem illam pertinere indicat.<sup>2)</sup>

In patria nostra PARAVIUS<sup>3)</sup> breviter de conscientia ita monuit: „quae saepe in rebus moralibus laudatur „conscientia, non est singularis quaedam facultas, ra- „tioni humanae addita et ab animo sentiente atque „volente separata. Sed ut observatione alios, ita nos- „tra sive animadversione, sive conscientia nosmet ip- „sos cognoscimus; atque adeo etiam ut illos, interce- „dente observatione, ita nosmet, per nostri conscientiam, „judicamus et culpados probandos esse sentimus.”<sup>4)</sup>

1) *Christliche Ethik*. 1<sup>a</sup> Ed. 1842. 5<sup>a</sup> 1853. § 7.

2) Conscientiam esse dicit: „ein sein Gottes in uns.” *Dialektik*, 154.

3) *Initia institutionis christianae moralis*. Edidit. L. G. PAREAU, Gron. 1842, p. 48. Eandem fere, quam PARAVIUS, sententiam exposuit J. E. ERDMANNUS (*Psychologische Briefe*, a<sup>o</sup> 1852 p. 363).

4) CL. HOFSTED DE GROOT in diario: *Waarheid in liefde*, 1858, p. 39: (*Het onderscheid van vrijheid van wil en vrijheid van handeling*) conscientiam dicit illam scientiam, qua homo persuasum sibi habet, se, si hoc illudve egerit, legem violasse et igitur culpandum esse.

Egregie de argumento nostro meritus est BECKIUS, quippe qui ut in universa Psychologia, ita quoque in hac doctrina, excolenda, in Sacrum codicem inquisiverit, unde veras notiones psychologicas peteret<sup>1)</sup>.

Copiose agit de significatione vocabuli *καρδία* (בָּל) in Sacra scriptura. Hoc vocabulo totius individuae hominis vitae sedem indicari statuit. Duplici autem modo *καρδία* individuam illam vitam testatur, et in conscientia, et in τῷ νῷ. Quod ad conscientiam, *καρδία* in illa cernitur ut in se conversa, ita ut ipsa legem sibi ponat, ac judicium proferat, quod vero ad τὸν νοῦν attinet, in illo, quae in *καρδίᾳ* teruntur, externa fiunt, ita ut ad singula singulatim moralis illa vis, quae in conscientia latet, applicetur, et in actum quemdam moralem abeat.<sup>2)</sup> Homo igitur, συνειδητός habens, revera sui conscius est, sui conscientiam tenet, quatenus in ipsa illius *καρδία* testimonium edatur de morali, quo instructus est, habitu.<sup>3)</sup> In conscientia ut in speculo, ipse homo sese videt.<sup>4)</sup> et conscientia ipsa *καρδία* dici potest, quatenus in illa vita hominis ita contineatur, ut individuam sui conscientiam habeat.

Alia via progressus haud minori tamen studio doctrinam de conscientia excoluit ROTHIUS.<sup>5)</sup> Homini sensum moralem inesse censem, et hanc scholasticos

---

1) *Umriss der biblischen Seelenlehre. Ein versuch von Dr. J. T. BECK.* Stuttgart 1843, § 22.

2) p. 72.

3) p. 75.

4) p. 77.

5) *Theol. Ethik.* 1845, I. p. 257 seqq.

significasse putat, quum de *synteresi* agerent. Conscientiam autem ad religionem referens, impulsu religiosum illam habet. Religiosum hunc characterem conscientiam habere, omnino tenendum esse judicat. Praeterea conscientiam praxin spectare atque individuam habere naturam ostendit. Ceterum eos refutare conatur, qui conscientiam affectum religiosum, sensum religiosum aut etiam ipsius Dei in homine actum interpretantur. Ea tantummodo significatione actus divinus haberi potest, qua actus ille passive accipiatur. Impulsus enim religiosus, quo, auctore ROTHO, conscientia continetur, in eo cernitur, quod homo ipse agens Deum in animo humano agere sibi persuasum habeat.

ROORDA<sup>1)</sup> conscientiam ad sensum moralem refert, et hunc conscientiae nomine appellari existimat si non universe ad moralia refertur, sed peculiariter indicat, utrum ea, quae ipse, de quo agitur, homo perfecit, bene an minus cum ipsius natura congruant. *Sensus* igitur, ut vulgo dicitur, *moralis*, latior est, *conscientia interior*.

DELITZSCHIUS BECKIUM secutus, psychologiam Biblicam exposuit.<sup>2)</sup> Conscientiam non ad Deum, sed ad ipsum hominem pertinere judicat, et contra eos agit, qui Deum identidem per conscientiam ad hominem loqui putent. Ut in tota disputatione, hic quoque historice versatus, ad antiquissimam historiam recurrit, *Gen.*

1) T. ROORDA, *Zielkunde of beschouwing van den mensch als bezield wezen*, Leeuwarden 1849, p. 103.

2) *System der biblischen Psychologie* von FRANS DELITZSCH, Leipzig 1855, III. § 4.

cap. 3. traditam. In memoriam revocat mandatum illud a Deo Adamo datum, ne ab arbore, quae *arboris cognitionis boni malique* nomine nota est, fructus sumeret: ostendit Evam, quum serpenti hoc divinum placitum referret, testimonium dedit, sese Dei voluntatem percepisse. Conscientiae testimonium ita dedit, et quum mox serpenti fidem habens fructum uterque comedederet, conscientiae vox oppressa esse censenda est. Sed non diu conscientia tacuit. Eruuit uterque et Deus accessit, qui conscientiam haud sine jure culpam testari peccatoribus indicaret. Deus igitur ante peccatum ipse cum homine se communicavit, iterum postquam peccatum erat commissum, locutus est ad hominem. In peccando autem conscientia affuit, ipsa in homine vox, quae ut a peccato detinetur, Dei mandatum in memoriam revocavit, quum vero Adam et Eva peccassent, culpam iis objecit. Conscientia igitur homini inhaeret, atque testatur, legem divinam ei datam esse, cui obsequi debeat, et eatus procul dubio Dei vox dici potest, quatenus ut omnes, hanc etiam divinae legis agnoscendae facultatem, Deus homini tribuit. Quod DELITZSCHIUS sibi vult, jam magis magisque hac nostra aetate in usum venit. Conscientia a permultis ita accipitur, ut omnino in ejus natura explicanda necessitudinis, quae inter Deum et hominem obtinet, ratio habeatur. Variis autem modis hoc ita fit. MARTENSENIUS conscientiam indicare dicit, hominem ab Universo non pendere, quum vero hoc nomine libertate gaudeat, cum Creatore conjunctum sese sentire a quo nimirum dependeat, ita quidem ut sui dominus revera esse haud possit, nisi Deo ser-

viens.<sup>1)</sup> SCHENKELIUS de conscientiae natura, cum Dei idea conjuncta loco saepius laudato scripsit.<sup>2)</sup> Quum vero nuper opus ediderit dogmaticum, in quo iterum de argumento nostro scripsit, ad cum reverti lubet, in hujus conspectus fine.<sup>3)</sup>

PASSAVANTIUS<sup>4)</sup> brevem tractatum de conscientia edidit, eo consilio, ut gravissimum, quod conscientia vario nomine habet momentum, indicaret. In priore disputationis parte de conscientiae natura agit, quam *scientiam* esse dicit *legis internae*. Duplici modo ejus natura, ita explicita, accipi potest, quum et ad ipsum *scire*, et ad illud, quod sciamus, id est, quod legem internam habeamus, attendere possimus. Si priore sensu accipitur, statuimus cuivis homini innatam esse generalem agendi normae *scientiam*, unde sequitur, non

1) Dr. H. MARTENSEN. *Die christliche Dogmatik*. Berl. 1856, p. 127.

2) HERZOG. *Real. Encyclop.* art. *Gewissen*.

3) Mentione digna sunt, quae MATTHIAS CLAUDIUS scripsit: (*Vom Gewissen. In Briefen an ANDRES. WANSBECKER BÖTE*). *Conscientiam* inter ea vocabula recenset, quorum significacionem unusquisque intelligit, quae vero explicitu perdifficilia sunt. Omnem *conscientiam* *conscientiam* esse dicit, non vero omnem *conscientiam* *talem* esse, qualem nobis informemus, si in doctrina ethica *conscientiam* homini inesse statuimus. Haec, de qua nunc agimus *conscientia*, existere nequit, auctore CLAUDIO, nisi postquam arbor fuit, quae *cognitionis boni malique arbor* dicitur. Angeli *conscientiam* non habent, quum tantummodo bonum noverint.

4) *Das Gewissen. Eine Betrachtung von JOHANN. KARL. PASSAVANT*, Frankfurt a/M. und Erlangen. 1857.

tantum facultates formales homini datas esse, sed etiam moralis boni ideam nobis inesse. Si posteriore sensu conscientia accipitur, ita ut quid bonum malumve sit cognitum habeamus, legem efficit, voluntatis normam. Quatenus haec lex moralis ad Deum refertur, recte conscientia, hac significatione, Dei vox habetur. Lex, quam conscientia praebet, nos probos esse jubet, et simul, quid probum atque honestum sit, indicat, et hac in re errare non potest, nisi aliunde inquietur. Conscientia voluntatis lex est, et si voluntas humana gubernaculum dici potest, conscientia acus nautica habenda est. Ante actum perpetrandum, in actu perficiendo, post actum confectum conscientia adest, legislator, testis, judex. Naturalis impulsus conscientia haberi nequit, quum continuo nos moneat, naturae impetum esse superandum. Referri debet conscientia ad hominis ideam, id est ad summum, quo tendere possimus, finem, et voluntati ea ratione agendi normam proponit, ut eam ad summum virtutis colendae gradum perducat. Ita PASSAVANTIUS conscientiae notionem exponit.

Alia ratione GÜDERUS<sup>1)</sup> de conscientia egit, qui etiam conscientiae doctrinam secundum sacrum codicem expositam exhibuit. De conscientia hac nostra aetate psychologice agi, ita ut inter varias hominis facultates ac proprietates locus ei assignetur, laetus agnoscit, queritur vero, eos, qui nunc hoc de argu-

---

1) *Erörterungen über die Lehre vom Gewissen nach der Schrift von ED. GÜDER* (in diario: *Theologische Stud. u. Krit.* 1857, II).

mento scribant, id sibi velle ut quantum possint conscientiae tribuant, ita quidem ut de *conscientiae Deo loquantur*, et Deum esse conscientia probari ac demonstrari putent. GÜDERO auctore, conscientia peculiari bus animi humani facultatibus annumerari non potest, quum per se non existat, quatenus certe existentia realis significetur. Ad intelligendi facultatem non pertinet, etsi minime scientiae atque intellectus charactere destituta sit. Judicandi facultas dici non potest, attamen revera judicis formam induit. Voluntatis facultatem non efficit, at vero ad voluntatem refertur, quippe quae conscientiam sequatur. Conscientia minime sensus est, non vero in linguae usu erramus, quum vocabula a sensibus petita, ad conscientiae actus significandos adhibemus. Quid igitur *conscientia* est? GÜDERUS *actum* illam habet, qui variis animi facultatibus cooperantibus, perficitur. Omnis conscientiae actus iumentis persuasione nititur, quae in voluntate suscepta, perficitur. Ut vero conscientiae actus existat, peculiaris quidam habitus in animo humano adsit necesse est, quo ductus id agere possit, quod in conscientia cernitur. Habitus vero ille, quem conscientia requirit, adest, quum Dei conscientia cum nostri conscientia necessitudinis vinculo juneta sit, quare conscientia cum religiosum, tum ethicum habet momentum. Conscientiae actus duplex est, quum iis, quae homo perfecit, antecedat atque ea sequatur. De utroque GÜDERUS agit.

Ad nostrates iterum transeamus. Cl. SCHOLTENIUS *conscientiam* scientiam esse dicit, et illam quidem, qua habitum nostrum moralem cognitum ha-

beamus.<sup>1)</sup> In censum imprimis veniunt, quae vir Ven. PH. R. HUGENHOLTZIUS anno praecedente de fide agens, scripsit<sup>2)</sup>. Homo, qui beatus esse vult, cum Deo conjunctus sit necesse est. Per fidem haec conjunctio obtinet. Fidem dicimus si quis in Deo fiduciam ponat, ac Deo nitatur. Ut haec fides adesse posset, necessario Deus sese cognoscendum præcere debuit, quod fecit in Filio suo JESU CHRISTO. Ut vero ipsi hanc fidem amplectamur, necesse est, ut Deo ita sese patefacienti obviam eamus, atque ipsi Deum sese revelasse compertum habeamus. Hoc fieri non potest, nisi ad se Deus nos creaverit, creatorisque vocis agnoscendae facultatem nobis tribuerit. Ita vero Deus nos creavit. Conscientiam nobis dedit, quae est *scientia cum Deo*, ita ut nos etiam, quam Deus statuit, necessitudinem inter Eum et homines cognoscere possimus, aequa ac finem, in quem nos creaverit, ac placita, quae de nobis habeat. Illam conscientiam peccatum obruit, sed Dei spiritus illam excitat, ita ut Dei vocem clare audiamus. Quodsi conscientiae voci aures praeamus attentas, primum nos fidem habere ostendimus. Hanc ob causam fides, quippe quae ad conscientiam pertineat, momentum ethicum habet. Ita HUGENHOLTZIUS.

Restat, ut eorum sententiam tradamus, qui hoc nostro anno de conscientia scripserunt. Primum de opi-

1) *Leer der Herv. Kerk* II. p. 494. 3<sup>e</sup> druk.

2) *Een woord over het geloof als heiligend levensbeginsel, het kostbare pand der Protestantsche kerk*, in diario: *Ernst en Vrede*. 1857. II. p. 148 seqq.

nione, quam CL. HOEKSTRA defendit, videamus<sup>1)</sup>. Quod ad etymologiam attinet, conscientiam interpretatur *scientiam cum aliis*, ita ut aequa atque in vocabulo Latino *mores*, et Graeco ηθος aliquid significetur, quod cum aliis commune habemus. Homo igitur per se ut individuum consideratus, ab origine conscientiam non habet neque ad illam, dum ita per se existit, accedere potest. Conscientia demum existit, ubi cum aliis una societate junctus vivit. Conscientia igitur non nascitur sed fit. Non vero homo conscientiam extrinsecus accipit; nam in ipsa hominis natura conscientiae hypothesis data est, quum homo ita omnino compositus sit, ut cum aliis societatem inire debeat. Conscientia ergo, communis voluntatis index opponitur egoismo, qui individuum et peculiarem voluntatem sequitur<sup>2)</sup>. Quodsi pueri extra illas, quae vulgares sunt, notiones morales vixissent, neque officia praestanda esse, nec conscientiam adesse cognitum haberent<sup>3)</sup>. Conscientia igitur ad hominem socialem, minime ad hominem individuum pertinet. Deinde CL. HOEKSTRA ostendit, qua parte haec sententia a *contractus socialis* theoria differat<sup>4)</sup> et discrimen indicat, quod inter voluntatem communem *actualem* et *idealem* exstat. Iterum<sup>5)</sup> con-

1) *Vrijheid in verband met zelfbewustheid, zedelijkheid en zonde. Eene psychologisch-ethische studie door s. HOEKSTRA, BZ. Amsterdam 1858. § 39.*

2) l. l. p. 236.

3) p. 244.

4) p. 245.

5) p. 300 seqq.

scientiam memorat, ut inde demonstret, in peccato revera culpam esse. De conscientiae vero natura plura non habet.

Denique SCHENKELII sententia a nobis referenda est.

Primum de *conscientia* SCHENKELIUS egit in loco saepius laudato, qui in HERZOGII opere *Encyclopaedico* exstat, ubi quid dixerit, nunc videamus. *Conscientiam* significare statuit, nos nobis *conscios* esse. Ipsius igitur vocabuli notio etymologica quum urgenda sit, *conscientia actus* haberi nequit. Cujus vero rei nobis in *conscientia* *conscii* sumus? SCHENKELIO judice *conscientia* nostra est *conscientia Dei*, non ita, ut Supremum Numen in *conscientia* nostra sui *conscium* sit,<sup>1)</sup> sed hac ratione, ut homo in *conscientia* Deum esse et cum hoc Deo necessitudinem sese habere persuasum sibi habeat. Ad religionem igitur *conscientia* pertinet, et *facultas religiosa* dici potest. Hoc nomine *conscientia* ab initio naturae humanae indita est, quippe quae a Deo pendeat, *conscientiae* vero notione non utimur, quum nostri nobis *conscii*, Dei simul *conscii* sumus. *Conscientia* demum exstat, postquam inter Deum atque hominem pugna exstitit, id est, postquam homo peccato obnoxius fuit. Negativum igitur characterem *conscientiae* SCHENKELIUS tribuit, quum hominem a Deo alienum esse arguat, simul autem positive *conscientia* agit, quum eo tendat, ut in talem, qualis nos cum Deo conjungere debeat, necessitudinem restituamur. In dupli illo *conscientiae* charactere causa est, quare

---

1) Ita MARIHEINECKIUS statuit. (*System der theol. Moral* p. 159 seqq.).

non tantum *religiosa* sed *moralis* etiam facultas sit. Ubi enim homo per conscientiam, quatenus negative agat, se a Deo alienum esse sentit, de se ipso necessario cogitat atque habitum suum moralem mutandum et emendandum esse secum reputat. *Conscientia* revera *religiosae* ac *moralis* hominis naturae synthesis habenda est. Hanc ob causam egregium conscientiae momentum SCHENKELIUS tribuit, et cum *religionis* tum *ethicae* doctrinae principia ea contineri statuit.<sup>1)</sup>

Quae ita vir doctissimus scripsit, iterum eademque copiosius in dogmatico, quod recens edidit, opere<sup>2)</sup> exposuit. De religione agens eorum refutare conatur sententiam, qui ad *rationem*, *voluntatem* aut *sensum* eam pertinere statuunt. Religionem propriam suam habere naturam, atque ipsam animi humani facultatem efficere putat, quae *conscientiam* organum habeat. Nos Dei nobis consciens esse, in *conscientia* immediate datum est. Hac parte conscientia *religiosum* momentum habet, atque ita *fides*<sup>3)</sup> inde originem dicit. Quum

---

1) Ipsa auctoris verba hic citare lubet: „Das Gewissen ist das „Centralorgan der religiösen und sittlichen Thätigkeit des Menschen, „das wichtigste Organ des menschlichen Geistes überhaupt, weil „er an demselben die Quelle seiner religiösen Grundanschauungen „und seiner sittlichen Thatkraft hat.“ (HERZOG *Real. Encyclop.* Tom V. p. 142).

2) Dr. DANIEL SCHENKEL. *Die Christliche Dogmatik, vom Standpunkte des Gewissens aus dargestellt.* Wiesbaden. 1858. Duo-  
bus hoc opus continebitur tomis, quorum prior tantum adhuc prodiit.

3) SCHENKELIUS fidem universe ita definit: „Glauben heißt

vero a Deo nos aberrasse conscientia moneat, atque ethicum ergo characterem induat, ad *legem agnoscendam* nos ducat necesse est, quippe quae Dei voluntatem exhibeat. Si quis quaerit, qua ratione conscientia nos a Deo aberrasse testetur, is bene secum reputet, hominem ita creatum esse, ut quod ad internum animi habitum attinet, ad Deum, quod vero ad externa, ad res mundanas feratur. Si talis est, qualis esse debet homo, Deus in omnibus praevalet, ubi vero peccato obnoxius mundo sese dedit, a Deo sese alienatum esse statim persuasum sibi habet. Conscientia igitur duplificem formam induit, alteram *religiosam*, *ethicam* alteram, sed duplii illa forma revera *conscientia nostri* habenda est, dummodo in conscientia hominem non per se, sed cum Deo conjunctum cerni statuamus.<sup>1)</sup> Hoc quum ita sit judice SCHENKELIO, auctorem conscientiae in dogmatica religionis Christianae doctrina magnum tribuere pretium non est, quod miremur. Videamus, quid hac de re statuat.<sup>2)</sup> Omne dogma, quod in doctrina Christiana dogmatica locum suum teneat, ad conscientiae placitum quoddam reduci posse requirit, simul scilicet non hujus alteriusve sed communem Christianorum conscientiam cogitare monens. Quaeritur quo modo dogmata an sint conscientiae placita probetur. SCHENKELIUS, quum conscientiam necessi-

---

„im Allgemeinen: das Selbstbewusztsein auf das Gottesbewusztsein beziehen, der eigenen Persönlichkeit in der absoluten Persönlichkeit Gottes gewiss werden.“ l. l. p. 150.

1) L. l. p. 135—155.

2) L. l. p. 213 seqq.

tudinem, quae inter Deum hominemque exstet, indicare docuerit, omnia dogmata, quae hominem sive *per se sumtum* sive *cum mundo conjunctum* spectent, aequem atque illa, quae ad ipsius Dei *per se considerati* naturam pertineant, e dogmatica Christiana removenda esse censem. Talia enim dogmata ad anthropologiam philosopham, ad physiologiam, theologiam speculativam ac metaphysicam referenda esse dicit. Iterum quaeritur, qua ratione, si quod dogma revera hominem cum Deo conjunctum spectet, illud conscientiae etiam probatum esse demonstretur. Hoc inde clare effici auctor existimat, quod dogma bonum sibi effectum vindicet, in vitam cum religiosam, tum moralem. Hoc igitur fundamento posito, dogmaticam religionis Christianae doctrinam SCHENKELIUS aggressus est, quae ut ipsa ab illo exposita mox in lucem prodeat fore speramus. Quod ad argumentum nostrum attinet, SCHENKELIUM multum *conscientiae* tribuere satis indicasse nobis videmur. Ad eum, uti etiam quoad propositum nostrum ferat, ad ceteros, quorum sententiam in hoc conspectu commemoravimus, in tertia hujus disputationis parte redibimus. Nunc vero sacrum Codicem adeamus, unde *conscientiae* notionem petamus, quae in *lineamentis* nostris adhiberi possit.

## PARS II.

### SACRI CODICIS DOCTRINA DE CONSCIENTIA.

#### CAPUT I.

##### QUAERITUR, QUID IN VETERE FOEDERE DE CONSCIENTIA SCRIPTUM LEGATUR.

In Veteris Foederis textu Hebraïeo nullum occurrit vocabulum, quod *conscientiam* denotat. Attamen Alexandrini in vertendo loco, qui exstat Eccles. X : 20 vocabulo συνείδησις usi sunt. Ita Hebraicum מִדְעָה redididerunt. Male hoc fecerunt, quum מִדְעָה omnino de *cognitionibus* accipendum videatur,<sup>1)</sup> et praeterea de *conscientia* hoc loco vix sermo esse possit<sup>2).</sup>

1) A. SCHULTENSIUS (*Prael. MSS.*) conjectit, hoc loco vocabulum יָדָה significare *concubitorum*, peculiarem usum τοῦ γένους in rebus conjugalibus respiciens. Etsi ita explicitum, bene in parallelismum quadret cum scqq. בְּהַלְלֵי מִזְבְּחָה primitivam tamen τοῦ γένους significationem hīc non rejiciendam censeo. Cf. VAN DER PALM, *Ecclesiastes philologice et critice illustratus*.

2) STÄUDLINUS l. l. p. 21 statuit, fieri posse, ut LXX voce

In *Sapientiae libro* vocabulum συνείδησις invenitur, Cap. XVII:11, ubi auctor, de πονηρίᾳ locutus, ita scribit: „ἀεὶ προσειλήφει τὰ χαίρεπα συνεχομένη τῇ συνείδησει.” Indicatur, qualem vim συνείδησις in malitiosum hominem habeat, quum vel gravissima ei ostendat pericula. Quam igitur *accusatoriam* vulgo dicimus, conscientiae vox hīc intelligitur. Conscientiae ergo notioni, quum in canonicis Veteris Foederis libris proprium vocabulum suum non vindicetur, multi quaesiverunt, an non alia sub voce in Saeris illis libris *conscientia* significetur<sup>1)</sup>. Vocabulum לִבְנָה hīc in censum venit. E permultis locis, in quibus in Veteri Foedere לִבְנָה memoratur, quatuor hue STÄUDLINUS retulit. Primum attendit ad Job XXVII:6, ubi formula לא-יָחַרְפֵּבְנִים conscientiam spectat, quippe quae nullum Jobo vitium exprobret. LUTHERUS igitur, quod ad sensum, recte in versione, quam dedit, vocabulum לא-יָחַרְפֵּבְנִים h. i. *conscientiam* interpretatus est.<sup>2)</sup> E priore sa-

---

συνείδησις usi, hanc de *cogitatis*, de *judicio interno* accipi voluerint. Haud ita dixerim. Ceterum, quid de STÄUDLINI sententia censendum sit, συνείδησις revera aliquoties, cogitationis ac judicii significatione dici, deinde videbimus.

1) SCHWARZ, *Evang. Chr. Ethik.* I. p. 153 scribit: „Das Gewissen ist die Empfänglichkeit für das Sittliche, und macht sich so vor aller Reflexion selbst geltend, wie in dem Kinde, so durch das ganze Leben hindurch, und bei allen Menschen.” — Hisce addit: „Daher kommen auch überall Worte vor, die es bezeichnen, wenn auch nicht gerade mit Präcision.” Postrema haecce verba imprimis urgenda mihi videntur.

2) LUTHERUS ita vertit: „mein Gewissen beiszt mich nicht

MUËLIS libro adducit cap. XXIV: 6. et ex altero ejusdem tituli libro cap. XXIV: 10, quo utroque loco idem legitur: **וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים** Nullum dubium esse potest, quin h̄ic ille animi affectus intelligatur, quem conscientiae morsum vulgo nuncupamus. Denique locum affert qui exstat I Reg. II: 44. ubi SALOMO ad SIMEUM dicens: **אַתָּה יְדֻעַת אֶת כָּל־הָרָעָה אֲשֶׁר יְדָע לְבָבֶךָ** **אֲשֶׁר עָשָׂת לְדוֹד אָבִיךָ** ad ejus conscientiam provocat quae malum testetur, quod DAVIDI attulit, quo in loco hoc imprimis animadvertendum censeo, quod distinguatur ipsius SIMEI persona, ad quam SALOMO loquitur, ab ejus **לֵב** quod mali DAVIDI allati conscientium sibi est. Eadem duplicitas indicatur Eccl. VII: 22; **כִּי גְּסַפְּעָמִים רַבּוֹת יְדָע לְבָבֶךָ אֲשֶׁר נִסְתַּחַת קְلִילָת** quo etiam loco vocabulum **לֵב**, ut recte Cl. HOEKSTRA<sup>1)</sup> monet, *conscientiam* respicit. Idem attendit ad Jer. XX: 9. **וְהִי בְּלֵבִי בְּאֵשׁ בְּעָרָחַ**. Haud vero dixerim, peculiarem illum, quem conscientiae tribuamus animi affectum, h̄ic denotari. Nulla certe satis idonea causa esse videtur, quare hoc ita ponamus. Nec melior causa, me judice, exstat quare cum SCHENKELIO *Psalmo LI: 12, 19* formulis **וְנִרְכַּבָּה** et **לֵב טָהוֹר** et **לֵב נְשָׁבֵר** *conscientiam* respici statuamus.<sup>2)</sup>

meines ganzen Lebens halber." LXX habent: οὐ γὰρ σύνοιδα  
ξμαντῷ ἀποκα πράξας.

1) In opere jam laudato: *Vrijheid in verband met zelfbewustheid, zedelijkheid en zonde*, p. 236.

2) SCHENKEL eodem loco (HERZOG. *Real-Encyclop.*) memorat

Potius *Prov. XX:9.* conscientiae rationem haberi velim.  
Quosdam locos recensuimus, ubi quum **לֵב** memoretur,  
*conscientiae* tamen notio exhibeatur. Quum vero voce  
**לֵב**, quae multo ampliorem habet significationem,<sup>1)</sup>

---

Ps. LI:8: חַדְרָתִי בְּפֶצַת כְּחֹמֶר. Vocabulum **שְׁחוּתָה** hie, ut saepius  
לֵב, pro **לֵב** sumitur, mihi autem h. l. non magis, quam ipsum illud  
**לֵב**, vs. 12, 19, conscientiam significare videtur.

1) BECK, *Umriss der biblischen Seelenlehre*, p. 65, haec habet: „das Herz stellt den Central-Heerd des ganzen Lebens-Betriebes dar in seiner ein- und ausflieszenden Bewegung, eben damit auch die Bildungsstätte aller selbstständigen Wirksamkeit und Lebendigkeit. Centralität mit selbstständig verarbeitenden Sammel-Kraft, sowie mit allseitig erregenden und ernährnden Umtriebs-Kraft — diesz bildet denn die wesentlichen Merkmale des Herz-Lebens; und wie die Seele mit ihrem eigenthümlichen Charakter organisch in dat Blut verwoben ist, so bildet die Central-Kammer des Blut-Lebens, das Herz in seiner angegebenen Eigenthümlichkeit die organische Basis des gesammten Seelen-Lebens.“ Et p. 78 scribit: „das Herz vereinigt in sich sittliche Sinnes- und Trieb-Thätigkeit mit sittlicher Vernunft-Thätigkeit, theils in einem Gesammt-Bewusztseyn die inneren Bestimmungen zusammenfassend, theils denk- und willens-för mig sie ausbricidend. Das Herz ist es, in welchem *das Leben* sich concentrirt zu einem Selbstbewusztseyn (Gewissen) und (p. 79.) die Entwicklung sich vollzieht in sittlicher Vernünftigkeit (*νοῦς*). Das Herz erscheint sonach als Träger des persönlichen Bewusztseyns.“ *Conscientia* ergo, monente BECKIO, est eine besondere Herz-Kraft, p. 73. Cf. Dr. F. C. VAN DEN HAM, *Jaarbb. v. wet. Theol.* I. l. T. V. p. 41—44. qui universe τὴν καρδίαν dicit: *bron des gewetens*, p. 43. DELITZSCH, *System der Biblischen Psychologie*, p. 206 habet: „das Herz ist der Sitz des Gewissens.“ Qualiscunque vero locus in τῇ καρδίᾳ conscientiae

minime idem exprimatur, quod Graeci *συνείδησις*, Latini *conscientiam* dicunt, et praeterea propositum nostrum ferat, ut tantummodo ad eos locos attendamus, qui

tribuatur, gravissima quaestio est, qualis proprius vocabuli *ζήλος* in Sacro Codice usus statuendus sit. „Das Herz ist” monente DELITZSCHIO l. l. „das Centrum des *leiblichen*, des *geistig seelischen*, und des *sittlichen* Lebens, p. 203—206. Alles, was „hellenisch und hellenistisch *νοῦς*, *λόγος*, *συνείδησις*, *θυμὸς* genannt wird, liegt in *καρδίᾳ* ineinander und alles, wodurch „*τέλος* und *τρόπος* afficit wird, tritt in *ζήλο* im Licht des Bewusstseins.” Quaeritur, unde explicandum sit *cordis* nomine ita totam hominis vitam individuam significari. Physiologia nostra (Cff. EMIL. HÜSCHKE, *Schaedel, Hirn und Seele des Menschen und der Thiere nach Alter, Geschlecht und Race*, Jena 1854. RUDOLPHI. WAGNER, *Physiol. H. W.* in art. *Gehirn*, alii) aliter judicat, duplex nervorum systema nuncupans *cerebrale* alterum, alterum *sympathicum*, ita ut prioris, quippe quo eae, quae ad intellectum referuntur, facultates contineantur, sedes *caput* habendum sit. BECK, cuius verba supra citavimus, hunc apud Hebraeos usum, (quem vero cum Graecis Romanisque Hebrei communem habent), explicat e *cordis* notione, quippe sanguinis receptaculi, quum Hebracos vim vitalem in sanguine posuisse satis notum sit. Reete vero DELITZSCH l. l. Hebracos, ita sanguinem cogitantes vitam quidem animalem, minime vero superiorem intellectualis ac spiritualem vitam ob oculos habuisse animadvertisit. VAN DEN HAM l. l. p. 43 momentum exponens, quod cor in vitam animalem habet, et idem, quod in vita physica valcat, in psychica etiam vita obtinere contendens, figurate hīc vocabulum *ζῆλος* sumi docuit. Quum autem enumerat, quid *ζῆλος* ita summum, contineat (*neigingen, begeerten en gezindheden*) ad *intellectualis*, quae etiam *τῷ ζῆλῳ* tribuitur, facultatem non satis atten-disse videtur. Bene DELITZSCH l. l., inter physiologos de propria cordis natura minime constare notavit. Si vera est, quam non-

ipsius conscientiae vocem exhibent, h̄c subsistamus. Quod ad universam Veteris Foederis oeconomiam attinet, quam SCHENKELIUS l. l. (HERZOG. *Real-Encyclop.*) conscientia niti contendit, negari nequit, plura eam continere elementa, quae ad conscientiae vim illustrandam optime adhiberi possint. Quominus autem cum SCHENKELIO inde doctrinam de conscientiae natura petamus, propositi nostri ratio prohibet, quae conscientiae notionem tantummodo e Sacri Codicis effatis duci, nec peculiarem de conscientia opinionem ad historiam exponendam adhiberi sinit. Quae vero vir clarissimus, quem laudavimus, dc Adamo peccatore ac de religionis sub Vetere Foedere peculiari charactere יהָה יְרָאָה monuit, omnino legi merentur.<sup>1)</sup>

---

nulli habent, opinio, corde revera et *cerebrale* et *sympathicum* nervorum systema contineri, multum lucis inde affiri possit ad vocabuli נִשְׁׁמָה usum explicandum. Hoc certe ex illo usu sequitur, veteres non ita atque hodiernos ad intellectualē imprimis vitam attendisse. Ceterum DELITZSCH l. l. ad Somnambulismum provocat, unde recte cor totius cum sensualis tum intellectualis vitae sedem haberι, probari possit.

1) Cf. DELITZSCH l. l. p. 101, 105.

CAPUT II.

QUAERITUR, QUID IN NOVO FOEDERE DE  
CONSCIENTIA SCRIPTUM LEGATUR.

*Praemonenda.*

Religionem Christianam conscientiac suum, quem tenere debeat, locum vindicasse recte STÄUDLINUS monuit. In sacris tamen Novi Foederis libris non ita saepe de conscientia agitur. JESUS ipse, quantum ex Evangelii novimus, numquam vocabulo *συνειδήσις* usus est. GÜDERUS l. l. hoc inde explicandum censet, quod JESUS ita genus humanum secum in salutarem conjunctionem ducere voluerit, ut conscientia necessario in hominis animo officium suum praestare debuerit. Ita vero causa quidem redditur, quare JESUS vocabulum *συνειδήσις* omittere potuerit, non vero explicatur, quare revera illud vocabulum omiserit, quod tamen GÜDERUS inde efficere videtur. Melius idem provocat ad totius JESU doctrinae rationem, quippe a systemate formando alienam. Nec vero hoc sufficit quum hīc tantummodo de vocis usu quaestio sit. Fortasse tertia, quam GÜDERUS memorat, causa procedit, vocabulum nempe, de quo hīc agamus, ex Hellenismo in Graecam linguam adductum, sero demum in vulgarem venisse usum. Quid vero causam quaerimus? JESUS, si Aramaica lingua usus est<sup>1)</sup>, Hebraeos secutus, conscientiae pro-

1) Cf. *Bijbelsch Woordenboek* in art. *Grieksch*. Tom. I. p. 482.

prium suum vocabulum tribuere haud potuit, etiamsi autem potuerit, aut Gracce dixerit, quid Illum hoc vocabulum omissoe miramur, quum praetera an revera illo non usus fuerit apud nos, quibus pauci tantum JESU sermones innotuerunt, minime certo constare possit. Quod ad Apostolos attinet, praeter PAULUM et PETRUM nemo inter eos fuit, in cuius scriptis *συνίδητις* commemoratur. De hoc igitur utroque agamus. De PAULO agentes, ad *Actuum App.* librum simul attendemus ubi hicce Apostolus loquens inducitur, et Epistolam quoque ad *Hebreacos* datam adibimus, quam utrum revera PAULUM auctorem habuerit, hic negligere nobis liceat. Priusquam vero de utroque hocce Apostolo agamus, de Evangeliiis paucis verbis videndum est.

§ 1.

*Quid in Evangeliiis de conscientia legitur?*

Semel in JOHANNIS Evangelio vocabulum *συνίδητις* occurrit. Locus autem, quem spectamus, *cap. VIII: 9*, dubius est, quum ad pericopen, *cap. VII: 53—VIII: 11*, pertineat, cui permulti authentiam abnegant<sup>1)</sup>. Quod ad argumentum nostrum, parum refert,

1) Cf. Dr. J. J. VAN OOSTERZEE, *Onderzoek naar de echtheid van de geschiedenis der overspelige vrouw.* (*Jaarboeken v. wet. Theol.* T. VII. p. 3 seqq.) Cl. J. H. SCHOLTEN, *de uitwendige bewijzen voor en tegen de echtheid van Joh. VII: 53—VIII: 11* getoest. (*Magazijn voor kritiek en exegetiek des N. T.*, T. III. p. 289 seqq.)

quid hoc de loco critici statuant, quum ad conscientiae naturam indicandam non ita multum inde proficere possimus. *Pharisaei* mulierem ad Jesum ducunt, in adulterio reprehensam illam, et legis *Mosaicae* in tale adulterium placiti memores, quid hae de muliere faciendum sit rogant. JESUS ab illo, qui a peccato liberum sese sciat, primum lapidem in illam conjicendum monet. Illi vero, quum hoc audiunt, *ὑπὸ τῆς τυνειδήσεως ἐλεγχόμενοι*. Significatur, *Pharisacos* ipsos sibi peccati conscos, a condemnanda muliere illa abstinuisse<sup>1)</sup>.

In Evangelii synopticis vocabulum *τυνειδήσεις* non occurrit. Si quaeritur, an non alia sub voce *conscientiae* notio exhibeat, adduci potest *τὸ φῶς τὸ ἐν σοι Matth.* VI:23. *Luc.* XI:35. quam tamen formulam conscientiam spectare affirmare non auserim, quum h̄c potius universe de melioribus animi viribus ac facultatibus cogitandum esse censem<sup>2)</sup>. Non magis h̄c

---

1) STÄUDLINUS l. l. p. 27 haec habet: „der allgemeine Begriff „vom Gewissen, welcher hier zum Grunde liegt, ist der, dasz „es ein *Vermögen* oder *Actus* des Gemüths sey, wodurch der „Mensch in Rücksicht auf das moralische oder göttliche Gesetz „sich selbst überführt, sich eine That zurechnet, sich richtet, „sich anklagt und verdammt oder losspricht.“ Haud dixerim talem conscientiae notionem h̄c quaerendam esse, qualis *facultatem* illam aut *actum* esse efficiat, quum simpliciter ille animi affectus h̄c indicari mihi videatur, quo *Pharisaei* in se conversi concii sibi erant, Jesum vere eos de peccato omnibus communi monuisse. Eodem sensu CICERO dicit: „conscientia convictus repente conticuit,” 3 *Cat.* 2, 13.

2) Cf. Dr. N. BEETS, (*Aanteekening op de bergrede. Ernst en*

mihi in censum venire videtur ὁ λόγος (τοῦ θεοῦ) μένων  
ἐν ὑπὲρ Joh. V:38 ubi hanc praesertim ob causam,  
me judice, conscientia intelligi nequit, quod, si ita es-  
set, JESUS conscientiam tolli posse hīc indicasset. Quod  
attinet ad ἀντίδικον Luc. XII:58 sententia, a qua GÜ-  
DERUS l. l.<sup>1)</sup> non plane alienus esse videtur, conscien-  
tiām ἀντίδικον dici, allegorica hujus loci interpretatione  
nititur. Conscientiam σκάλην imagine describi Marc.  
IX:44 seqq. quodammodo concedi potest, etsi minime  
hoe loco, collato Jes. LXVI:24, conscientiae morsum  
unice significari putemus. In parabola de filio a pa-  
tris domo aberrante, Luc. XV:11—32 conscientiae  
quoque partes tribui quis est, qui neget? Haud tamen  
cum GÜDERO l. l. ad hujus capitinis vs. 17 provocave-  
rim, ea, quae ibi filius ille secum reputat, attendens.  
Haec sunt, quae ex Evangeliiis petita, huc pertineant.  
Admodum pauca sunt ac levis momenti. Quod quum  
ita sit, GÜDERUS l. l. melius eorum procedere dicit

---

Vrede, I. p. 256). — Non desunt, qui conscientiam *lumen* esse  
statuant. Ita ANTONIUS FLORENTINUS (vid. supra p. 15). Ita  
hodie T. COLANI: „— cependant l'intelligence, qui calcule et qui  
„qui observe, reste, comme l'instinct aveugle, bornée aux choses  
„finies. Elle ne nous dit rien sur notre destinée. Il faut une  
„autre lumière, un instinct spirituel pour nous arracher aux pré-  
„occupations de la matière, un sens supérieur pour nous faire  
„percevoir les choses divines. Ce rayon céleste, sans lequel l'hu-  
„manité ne serait point faite à l'image de Dieu, c'est la con-  
„science.” Sermons, préchés à Strasbourg par T. COLANI, Stras-  
bourg, 1857 p. 4, cuius operis, partim certe, nuper versio Belgica  
produit: *Leerredenen van T. COLANI*, Rotterdam 1858.

1) p. 252.

sententiam (quam ipse etiam amplectitur) qui formalem tantum notionem conscientiae tribuant, quam eorum, qui per ipsam conscientiam aut vitae normam, aut bonum morale, aut veram divinum feri existiment. Haec ratiocinatio claudicat. Ex exigno locorum, ubi in Evangelii conscientiae ratio habetur, numero, effici nequit, alteram conscientiae notionem alteri in Evangelii praeferriri. Si quid inde efficere nobis liceret, nihil aliud esset, nisi hoc, IESUM atque eos, qui in Evangelii de Eo scripserunt, conscientiam non multum curasse, quod tamen GÜDERO certe quoque assentientia, falsum habemus.

§ 2.

*Quid PAULUS 'de conscientia dixit?*

Primum attendamus ad *Epistolam*, quam PAULUS ad *Romanos* dedit. Classicus exstat locus, *cap. II:15*. Apostolus nullam apud Deum προσωπογένειαν esse monens, vs. 11, quotquot haec in vita legis expertes peccato servierint, nulla etiam legis ratione habita periuros esse, quotquot vero in legis communione peccato servierint, per legem judicatum iri confirmat. vs. 12. Si quis miretur — ita subintelligendum censeo in vs 13 — per legem quemquam judicari, bene secum reputet, hominem non ideo Deo probatum esse, quod auditor cum lege familiaritatem quandam contraxerit, sed tum demum Deo placere, quum universam vitam legi consentaneam instituerit. Si quis gentes legis expertes esse objiciat — ita iterum subintelligo in

vs 14, quod HENGELIO quoque nostro placere videatur — animadvertisat, gentes, quum *legem Mosaicam* non habeant, attamen illud agant, quod *lex Mosaica* postulat, sibi ipsis legi esse. Tum sequitur vs 15: οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν συμμαχτυρούστης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων. Quaeritur, quid sit τὸ ἔργον τοῦ νόμου. Triplex est sententia. Nonnulli τὸ ἔργον cogitant τῷ γράμματi τοῦ νόμου oppositum. Ita ORIGENES, SCHMIDTIUS, BENGELIUS. Alii τὸ ἔργον, quod *lex Mosaica* efficiat, hīc intelligi putant. Ita GROTIUS, TURRETINUS, BECKIUS l. l. DELITZSCHIUS l. l. Hodie plerique illud opus hīc significari statuunt, quod lex fieri jubeat. Ita WETTIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, THOLUCKIUS, HENGELIUS et MEYERUS, qui antea GROTIUM secutus, sententiam deinde mutavit. Omnino hīc de ἔργῳ, quod ὁ νόμος fieri jubet, cogitandum censco, causam, quare Singulare collectivum ab Apostolo usurpatum sit, cum HENGELIO in eo quaerens, quod non facta quaedam, sed universam vitae rationem *legis Mosaicae* praeceptis consentaneam PAULUS in mente habuerit<sup>1)</sup>. Quod ad γραπτὸν attinet, recte HENGELIUS in causam inquirens, quare hīc adjективum verbale, quod RÜCKER-TUS false hīc, quod ad sensum, a participio passivo non differre existimat, adhibitum sit ab Apostolo, mul-

1) Cf. RÜCKER. „die Beschaffenheit des Handelns, welche der Befolgung der einzelnen und speciellen Vorschriften des Mōzaischen Gesetzes als Idee zum Grunde liegt, liegt auch in ihnen (τοῖς ἔθνεσι.) als ein allgemeines Bild des sittlichen Handelns.“

lam h. l. temporis rationem PAULUM habuisse contendit<sup>1</sup>). Quid vero ἐνδείκνυται significat? Vulgo cum *Vulgata* redditur: *ostendunt*, quae interpretatio laudatur a RÜCKERTO, THOLUCKIO, PHILIPPO, HENGELIO, aliis. HOFMANNUS<sup>2</sup>) aliter statuit, ἐνδεικνύσθαι *perficiendi, praestandi* notionem hīc habere existimans, ita ut τὸ ἔργον τοῦ νόμου *objectum* tribuendum τῷ ἐνδείκνυται, et γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν *appositum* τοῦ ἔργον τοῦ νόμου habendum sit. Primo provocat ad 2 Tim. IV : 14, quippe quo loco verbum ἐνδείξασθαι cum objecto suo coniunctum occurrat. Quaestio vero non est, an verbum ἐνδείξασθαι proprium suum objectum habere possit quod minime negamus, imo loco quoque nostro obtinere statuimus, quum cum HOFMANNO γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν non *praedicatum*, sed *appositum* habeamus. Sed quaeritur, an *ostendendi* significatio verbo Medio ἐνδεικνύσθαι tribui debeat, quam eidem et huic, quem HOFMANNUS citat, loco, et ceteris, ubi idem vocabulum occurrit, ut 2 Cor. VIII : 24, Eph. II : 7, 1 Tim. I : 16, Tit. II : 10, aliis, vindicandum esse puto. Deinde HOFMANNUS animadvertisit, ἐνδεικνύσθαι *ostendendi* significacione hīc sumi non posse, quum συνείδησις et λογισμοὶ, internum hominem spectantes, legem cordi inscriptam *ostendere* dici nequeant. Haecce argumentatio contra THO-

1) CALVINUS ad: ἐνδείκνυται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν καρδίαις αὐτῶν animadvertisit: „non intelligit (PAULUS) in „sculptum corum voluntati, ut appetant et studiose persequantur, „sed quia sic veritatis potentia vincuntur, ut non possint non „approbare.”

2) *Der Schriftbeweis.* T. I. p. 494 seqq.

LUCKIUM valot, qui in *συνειδήσεως* testimonio unicum documentum quaerendum censet, quo lex in cordibus scripta probetur, nullam vero vim habet in eos, qui illud *ἐγδείκυνται* imprimis explicant e τῷ τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν, quod praecedit vs. 14. Cum HENGELIO igitur ostendendi significationem hoc nostro loco adhibendam censeo. Sequitur: *συμμαρτυρούστης* αὐτῶν τῆς *συνειδήσεως*. GROTIUS praepositioni σὺν in composito *συμμαρτυρούστης* propriam suam vim denegat, quem deinceps KOPPIUS, THOLUCKIUS, KÖLLNERUS, OLSHAUSENIUS secuti sunt. THOLUCKIUS imprimis vocabuli *συμμαρτυρεῖν* significationi indagandae operam dedit. Hanc vocem *una testari* interpretandam negat, quum *συμφωνήσις* tantummodo indicetur, quae inter eum, qui testimonium edit, et id, de quo testatur, exstet. Post FRITZSCHIUM MEYERUS contra THOLUCKIUM pugnam iniit, imprimis provocans ad PLATONIS locum. *De Legibus.* Lib. III. p. 680<sup>1)</sup>). THOLUCKIUS ASTIUM secutus illo loco *Συμμαρτυρεῖν* interpretatur *attestari* et miratur, quemquam ibi *una testari* vertere posse. HENGELIUM vero nostrum assentientem habet MEYERUS. Ceterum THOLUCKIUS multa vocabula affert, cum praepositione σὺν composita, quibus simplicibus praepositio illa nihil novi addiderit, ut *συννοεῖν*, *συλλυπεῖσθαι*, *συνειδέναι*, *συντελέω*, *συντίλλω*, *συντέμνω*. Me autem judice, ad significatio primitiva: *cum animo suo sive apud animum suum* hisce in vocibus minime plane deleta est. Deinde THOLUCKIUS provocat ad *Jer. XI: 7* ubi *Compl.* ha-

1) Effato: τῷ σῷ λόγῳ ἔστιν μαρτυρεῖν responsum datur: ναι. Συμμαρτυρεῖ γάρ.

bet: *συμμαρτυρόμενος συνεμαρτυρόμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν* κ. τ. λ. ΤΗΕΟΔΟΤΙΟΝ ἐπιμαρτυρόμενος ἐπεπαρτυρόμην κ. τ. λ. ΡΑΧΟΜΙΟΣ δικυρτυρόμενος διεμαρτυρόμην κ. τ. λ. Ipse vero THOLUCKIUS ex hisce allatis exemplis, praepositioni *σὺν* in vocabulo nostro suam vim denegandam esse certo efficere non ausus est. Revera, etsi usum vulgarem in hac praepositione adhibenda admodum fluctuare, facile concedamus, cum FRITZSCHIO tamen et HENGELIO locum, qui opinionem confirmet, *συμμαρτυρεῖν* exstare pro *μαρτυρεῖν*, deesse fatendum est.

GROTIUS ac THOLUCKII sententia igitur non satis firmo nititur argumento. Praeterea, uterque locus ejusdem hujus *Epistolae ad Romanos*, cap. VIII : 16, IX : 1, contra eos pugnare videtur, quod tamen aliter THOLUCKIUS statuit. RÜCKERTUS *συμμαρτυρεῖν* significare statuens sive *una testari* sive *in alicuius commodum testari* posteriorem significationem quam antea praetulerit, deinde priorem adhibendam duxit. HOFMANNUS l. l. cum THOLUCKIO *συμμαρτυρεῖν* pro *μαρτυρεῖν* accipere videtur. PHILIPPUS contrariam sententiam amplexus est. Quid vero est *συνείδησις* et quo sensu illa *συμμαρτυρεῖν* dicitur? Ad posteriorem quaestionem prius responsum dare liceat. FRITZSCHIUM Graeca interpretantem: *et simul* (scil. cum honestis gentium moribus) *eorum conscientia testabitur* (potius *testatur*<sup>1</sup>) HENGE LIUS improbat vocabulum *σὺν* explicans, *cum documento, quo gentes*, quotiescumque vitae ratione legis Mo-

---

1) FRITZSCHIUS hunc vs. cum vs. 16 connectere conatus futurum pro praesenti tempore posuit, male provocans ad WINERI regulam: *Praesens de re certo futura dici.*

*saicæ præceptis obsequuntur, se sibi legi esse ostendunt ita ut ad externum documentum accedat internum conscientiae eorum testimonium.* An jure ita HENGELIUS contra FRITZSCHUM statuerit, dubito. Primo ille participium *συμμαρτυρούσης* ad *ἐνδείκνυται* referendum esse statuit. Evidem vero cum PHILIPPO non video, quomodo conscientiae testimonium revera *ἐνδείκνυται* dici possit, eo sensu, quo hinc *ἐνδείκνυται* occurrit. Deinde ad participium *κατηγορούντων* provocat, quippe cujus notio impedit, quominus mores gentium honesti hinc in censum venire possint. Nec vero FRITZSCHIUS *ἔθνη* semper τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν, gentium mores semper esse honestos contendit. Contrarium quum constet, participium *κατηγορούντων* additum, immo præmissum est τῷ *ἀπολογουμένῳ*<sup>1)</sup>. Denique, si quis FRITZSCHII sententiam sequatur, orationis tolli perpetuitatem HENGELIUS existimat. Aliter judico et optime sententiam procedere arbitror, si statuimus gentes, quum vitae rationem ad legis Mosaicae præcepta componant externum legis gentibus ingenitae documentum præbere, simul vero conscientiam in iis ipsis testari, legem, quam honeste viventes normam sequantur, revera cordibus esse inscriptam. Ad alteram quaestionem pergimus. Quae est *συνεδητις*, quae dicitur *συμμαρτυρεῖν*? STÄUDLINUS l. l. ad judicium illam refert, quo ipsae gentes sese *judicant*, GÜDERUS hanc ei operam tribuit, ut τὸ *ἔργον* τοῦ νόμου ad sin-

1) Monentibus FRITZSCHIO, RÜCKERIO, PHILIPPO particula *καὶ*, quae participium *ἀπολογουμένῳ* præcedit, defensionem rariorem esse indicat quam accusationem.

gula singulatim applicet. PHILIPPUS hīc *subsequenter*, q. d. *conscientiam* sibi informat, de singulis actionibus judicium proferentem, sibi vero in tota hac disputatione parum constat. HENGELIUS *mentem* cogitat, *bonum et malum distinguenter*. DELITZSCHIUS l. l. *συνείδησιν* scientiam esse confirmat, qua legem exstare divinam cognitum habeamus<sup>1)</sup>. Unice mihi placet sententia ВЕСКИ, qui *συνείδησιν* ad nostri conscientiam, proprio sensu sumtam, revocat, ita vero ut nostri nobis consciī, huic conscientiae convenienter judicemus atque agamus. Vocabulum ergo *συνείδησις* e forma *σύνοιδα* 1 Cor. IV : 4 explicandum esse puto. Gentes, quum legis divinitus animo inscriptae externum documentum praebeant, simul ipsae sibi persuasum habent, hanc legem sibi ingenitam esse. Quod quum ita sit, ipsi quoque si quid egerint, homines se probent aut damnent necesse est. Haec autem judicandi facultas non *συνείδησι* a PAULO tribuitur, sed *τοῖς λογισμοῖς*. Legimus enim: *καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγραφύντων οὐ καὶ ἀπολογουμένων* quod HENGELIUS recte interpretatus videtur: *ratiocinationes eorum alternis (vicibus) occupatae sunt in sui*<sup>2)</sup> (gen-

1) L. l. p. 101. Comparationem instituit inter veteris Fœderis *προφητείαν* et *συνείδησιν*. Ut Prophetæ legem Mosaicam testimonio suo probabant, atque omnia inter Israëlitas ad hujus legis normam componere conabantur, ita *συνείδησις* testimonio suo probat legem divinitus homini datam, et indicat, quid secundum hujus legis normam fieri debeat. — Non immrito ergo dicta est *προφητεία* civitatis Israëliticæ *συνείδησις*.

2) *Objectum* in tali oratione non requiri patet ex *Act. app.* XXIV : 2, 19.

tium) *accusatione vel etiam defensione*<sup>1)</sup>). Hoc igitur, de quo nunc egimus, loco *συνείδησις* intimam animi conscientiam denotat<sup>2)</sup>, cuius effectus in judicando, dammando, aut probando cernitur, quae vero ipsa testimonium tantummodo exhibit. Videamus de ceteris, qui in hac *Epistola* occurunt locis.

*Cap. IX : 1.* PAULUS seribit: ἀληθεῖαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνείδησεως μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Apostolus, gentes exteras ad CHRISTI communionem vocans, se tamen Judacos singulari caritate amplecti asseverat. Ut graviorem vim huic asseverationi addat, praemittit: ἀληθεῖαν λέγω ἐν Χριστῷ. z. τ. λ. Quaeritur, quid illud ἐν X. significet. Nostrates BOSVELDIUS et WYSIUS, CALVINUM, GRO-

1) Cf. DELITZSCH, I. I. p. 102. „Indem das Gewissen dem „inneren Gesetze Zeugniß giebt, tritt es dem Menschen als Ich „gewissermaassen gegenüber und es entstehen in dicscm, sei es „dass er über eine einzelne Handlung oder dasz er über seinen „Gesammtzustand nachdenkt, hervorgerufen durch das Gewissens- „zeugnisz einerseits anklagende, andererseits vertheidigende Ge- „danken, welche wie in Rechtstreit, in Wortwechsel mit einander „(μεταξὺ ἀλλήλων) gerathen.“

2) SCHENKEL, (HERZOG. *Real-Encyclop* I. I.) ad *Rom. II:15* seribit: „der Apostel unterscheidet an jener Stelle das ἔργον τοῦ „νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις d. h. das dem Gesetze gemässze „im Herzen gebotene, also pflichtschuldige *Handeln* von der „συνείδησις, die als συμμαρτυρόντη beschrieben wird, und von „den λογισμοῖς, von denen es heiszt: sie seyen μεταξὺ ἀλλή- „λων κατηγοροῦντες καὶ ἀπολογούμενοι. Das Gewissen ist mithin „nicht als sittliches Gesetz, als objective Norm des sittlichen „Lebens zu fassen, sondern es ist *Selbstbewusztseyn* des Menschen,” u. s. w.

TIUM, alios secuti jurisjurandi formulam h̄c occurrere putarunt. REICHIUS, OLSHAUSENIUS, alii non ipsum *jusjurandum*, sed *jurisjurandi* tamen *speciem* aut *testationem* intelligendam censuerunt. Cum RÜCKERTO, VINKIO, HENGELIO, ne *testationem* quidem per *Christum*, multo minus *jusjurandum* in hac formula agnoscimus, et quia probari nequit, formulam εὐ X. absolute positam, significare per *Christum*, et vero, quia PAULUS hac formula usus, significationem sibi constantem illi vindicasse videtur *in communione Christi*<sup>1)</sup>. PAULUS igitur se verum dicere professus, hujus professionis fidem auget, se non sibi relictum, sed cum CHRISTO conjunctum esse adjiciens. Hoc quum ita sit, Apostolus addere potuit: οὐ ψεύδομαι, quod quare cum HENGELIO ita accipiendum sit, ut iterum PAULUM cum Christo conjunctum nobis informemus, euidem non video. Facile hoc ex iis, quae praecedunt, h̄c suppletur. Quideunque sit, recte omnino HENGELEIUS Apostolum Ἐξεγγραστον hoc loco adhibuisse animadvertis merae Tautologiae minime aequiparandam. Si recte illud εὐ X. *jurisjurandi* formulam exhibere negavimus, multo minus id, quod sequitur, εὐ πνεύματι ἀγίῳ de jurejurando accipi potest, quod a nonnullis quoque eorum agnosceatur, quos in formula εὐ X. explicanda assentientes haud habemus<sup>2)</sup>. Nulla nobis cum HENGELIO causa extare videtur, quare hanc formulam

1) Cf. Cl. v. HENGEL, ad h. l.

2) De vi formulae εὐ πνεύματι ἀγίῳ in N. T. tribuendae Cf. ULOTH. Diss. Exeg.-Theol. de diversis formulis, quibus in N. T. Spiritus sanctus indicatur.

Latine reddere vercainur: *in Spiritus Sancti communione.* Quo vero illud ἐν πν. ἀγ. referendum est? FRITZSCHIUS ad τὸν ψεύδομαι illud refert. Recte vero HENGELIUS cum negantibus τὸν ψεύδομαι aegre cohaerere aientia ἐν πνεύματι ἀγίῳ animadvertisit, simul ut FRITZSCHIUS sententiam refutet, ad 1 Tim. II : 7 provocans. Tertium, quod HENGELIUS contra FRITZSCHIUM attulit argumentum, ex orationis structura petitum, quippe quae quominus ἐν πν. ἀγ. ad οὐ ψεύδομαι referatur, impedit, levius mihi videtur. GROTIUS, TURRETINUS alii ἐν πν. ἀγ. conjungunt cum συνειδήσεως et conscientiam sibi informant, quae sit in Spir. S. i. e. quae per Spir. S. regatur. Recte vero, ut ita accipiatur, articulum ante formulam ἐν πν. ἀγ. requiri, RÜCKERTUS ostendit. Hic hanc formulam a participio συμμαρτυρούσης pendere statuit. Conscientia ergo συμμαρτυρεῖ ἐν πνεύματι ἀγίῳ, *in Spiritus Sancti communione* quod RÜCKERTUS explicat: conscientia ἐμοὶ συμμαρτυρεῖ ideo, quod ἐν πν. ἀγ. sum, quippe quod testimonium meum valere probet, et ea, quae dixerim, vera esse ostendat. Ita quoque THOLUCKIUS, WETTIUS, MEYERUS, HENGELIUS. Sicut autem supra formulam ἐν Χριστῷ absolute positam ad universum ἀληθεῖαν λέγω retulimus, hīc etiam τὸ ἐν πν. ἀγ. ad totam sententiam: συμμαρτυρούσης μου τῆς συνειδήσεως μου pertinere censemus. *In communione Christi* Apostolus verum dicit, *in communione Spiritus Sancti* conscientia testimonium edit<sup>1)</sup>. Quod ad Dati-

1) Cf. GÜDER, I. I. p. 273, qui ad hunc locum haec scribit:  
„Mit feierlichem Nachdrucke, gegenüber dem Scheine vom Ge-  
gentheil, beteuert PAULUS daselbst, er lüge nicht, συμμαρτυ-

vum *μοι* attinet, Participio συμμαρτυρούσης additum, HENGELIUS vertit *mecum*, quod explicat: *ubi me verum dicere nec mentiri ore profiteor*, ita ut sensus hue redeat: *quum ad oris professionem accedat testimonium, quod in Spiritus Sancti communione edit conscientia mea.* Si recte hic ut *cap. II:15 συνείδησιν* interpretamur ipsam conscientiam nostri, quae interno animo continetur, haec, quam Cl. HENGELTUS sequitur, *Dativi μοι* explicandi ratio displicet. Haud enim probabile videtur, *Paulum ad externam oris professionem internum animi testimonium ita accedere significasse, nec, quum sane Apostolum externam oris professionem interno animi testimonio corroborare statuam, duo hic PAULUM lectoribus ad credendum momenta afferre cum HENGELIO crediderim* <sup>1)</sup>). Quidni *μοι Dativum commodi* aut, qui vulgo dicitur, *Dativum ethicum* habentes personam hic indicari statuamus, ad quam illud

---

„*ρούσης μοι τῆς συνειδήσεως μου ἐν πνεῦματι ἁγίῳ.* Mit ihm,  
„für ihn und zwar als ein solches, das in seiner Gemeinschaft  
„mit dem heiligen Geiste wurzelt, zeugt ihm sein Gewissen, dasz  
„er tiefen Schmerz über die Verwerfung eines groszen Theils  
„seines Volkes empfinde. Das Gewissen des Christen hat nicht  
„nur jene religiös-sittliche Anlage zu seiner materiellen Natur-  
„basis, von welcher in Bewegung gesetzt, die geistigen Vermögen  
„des Menschen in ihrem Zusammenwirken als Gewissen functio-  
„niren; sondern diese Anlage ist in der Kraft des heiligen  
„Geistes erneuert, vom Geiste durchdrungen, woraus nothwendig-  
„gerweise auch eine entsprechende Schärfung des Gewissens re-  
„sultirt.”

1) Duce OECUMENIO nonnulli tres testes a PAULO huc adductos esse putarunt: *τὸν Χριστὸν, τὴν συνείδησιν, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.*

*τυμμωρτυρεῖν* pertineat? PAULUS igitur hoc nostro loco, quum se verum dicere ore profletur, et huic veri argumento externo vim addit, declarando, se cum Christo esse conjunctum, conscientiam ipsam sibi testari confirmat, ita ut interno animo se verum dicere persuasum sibi habeat, quod iterum conscientiae testimonium corroborat, illud in Spiritus Sancti communione extare significans. Eadem ergo hīc, quae cap. II : 15 vocabulo *συνείδησις* significatio vindicanda est.

Tertius in hac Episiola restat locus Cap, XIII : 5: διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὄργην, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. Apostolus magistratui, quippe a Deo constituto, obedientiam parandam esse docet. Si quis magistratui obedire neget in poenam irruit. Non vero metus tantum, ne poena afficiamur, nos ad iis, qui supra nos positi sunt, obedientem animum praestandum ducere debet, sed ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. Nihil aliud hīc significari videtur, quam hominem ipsum divini placiti sibi conscientium esse, quo ἔξουσιαι τεταχυμέναι εἰσιν. vs. 1. Hujus conscientiae ipse civis documentum edit, tributa solvens. vs. 6. Nulla ergo causa est, quare cum RÜCKERTO διὰ τὴν συνείδησιν explicemus: *ut bonam conscientiam incolumem teneamus*. Non ita ad effectum Apostolus attendit, sed ipsam conscientiam significat, qua, quid de magistratu habendum sit, efficitur. Ad internum igitur animi testimonium PAULUS hīc quoque provocat.

Priorem, quam PAULUS ad Corinthios dedit epistolam nunc adeamus, et de singulis locis videamus, ubi vocabulum *συνείδησις* legitur.

Cap. VIII. Apostolus de idolis et de sacrificiis iis obla-

tis, agit. Inter CHRISTI sectatores unum esse Deum certo certius constare dicit; de idolis ergo non cogitandum nec quaerendum esse censem, utrum quid in eorum honorem immolatum sit. Qui ita sentiunt idolothyla libere edere possunt, ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις· τινὲς δὲ τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου ἔως ἄρτι ὡς εἰδωλόθυτον ἔσθι οὐσιν, vs. 7. LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS pro συνειδήσει legunt συνηθείᾳ, quippe quae lectio etsi paucioribus, gravioribus tamen nitatur testimoniis externis. In hac vero orationis serie συνειδήσεως notionem melius procedere cum OSANDRO existimo. Praeterea lectionem receptam utpote difficiliorem praefero, quam etiam a BENGELIO, RÜCKERTO, WETTIO defendi video. Quod ad ἔως ἄρτι attinet, LACHMANNUS legit: τῇ συνειδήσει ἔως ἄρτι τοῦ εἰδώλου. Cum WETTIO hanc lectionem rejiciendam censeo, quum si structura indicare debuit, ἔως ἄρτι non ad ἔσθιουσι sed ad praecedentia pertinere, leges grammaticae omnino requirere videantur, ut ita legatur: τῇ ἔως ἄρτι συνειδήσει τοῦ εἰδώλου. Attamen CALVINUM et ROSENmüLLERUM non sequimur, ἔως ἄρτι ad ἔσθιουσι referentes, quam opinionem, quam jam THEOPHYLACTUS amplexus est WETTIUS etiam probare videtur. Illud ἔως ἄρτι cum συνειδήσει conjungendum statuimus, et illos homines indicari putamus, qui ad illud usque tempus τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου utebantur. Ita GÜDERUS quoque locum accepit. Quid vero est ἡ συνειδήσις τοῦ εἰδώλου? BENGELIUS, WETTIUS, alii συνειδήσιν interpretantur reverentiam aut metum religiosum, quo erga idola homo imbutus est. SCHULZIUS obscuram quandam idolorum notionem hīc indicari putat. STÄUDLINUS ad formulam explicandam: συνειδήσει εἰδώλου ἔσθιεν provocat ad

sequens: ὡς εἰδωλόθυτον ἔσθιεν. Qui carnem ut εἰδωλόθυτον edit, idolum revera existere persuasum sibi habet. Persuasio ergo hīc adest atque opinio de idolo. Idem, judice STÄUDLINO, valet in formula nostra, quae sententiam exprimit illi, quae vs. 4 occurrit, ὅτι οὐδὲν εἰδωλον ἐν μόσμῳ, contrariam. OSIANDER in hac formula explicanda dubitat. MEYERUS propriam conscientiae notionem hīc accipiendam dicit, ita ut τὸ εἰδωλον conscientiae moralis objectum habendum sit. Omnino cum MEYERO συνείδησιν h. l. nec *judicium*, neque *opinionem* quandam *obscuram*, nec *firmam persuasionem* significare puto. Ipsam hominis *conscientiam* cogito, qua idoli sibi conscientius est, id est, qua interno animo idola exstare credit, non ita fortasse, ut revera idolum tanquam Deum colendum existimet, hac tamen ratione, ut aliquam necessitudinem εἰδωλόθυτον inter et daemonem quemdam exstare putet. Si ita συνείδησιν accipimus, *persuasionis*, quam STÄUDLINUS huic loco vindicare studuit, notio certe in hac formula inest<sup>1)</sup>). In

1) Cf. GÜDER, I. I. p. 256. „Die religiöse Anschauungsweise, die Ueberzeugung, erscheint als eine solche, wonach zwar dem Idol nicht Gottheit, allein vermöge seiner Beziehung zum Dämonenreich doch immerhin eine gewisse Realität beigemessen wird, welche einen geheimen inneren Zusammenhang zwischen ihm und dem ihm dargebrachten Opferthiere ahnen lässt. Am Thiere und seinem Fleische muss etwas vom Götzen selber haften bleiben, so dasz der Genusz seiner Ueberreste nicht für indifferent gehalten werden kann. Die mit praktischem Antriebe begleitete Bezeugung dieser Ueberzeugung vom Götzen, die Bezeugung: weil der Götze selber eine Realität ist, und folglich zwischen ihm und dem Opferfleisch ein realer Nexus bestehen wird, der den

eodem vs. sequitur: καὶ ἡ συνείδησις αὐτῶν, ἀσθενῆς οὖσα, μολύνεται. Recte GÜDERUS provocans ad vs. 10. ἡ συνείδησις αὐτοῦ, ἀσθενοῦς ὄντος, adjectivum ἀσθενῆς proprie non ad *conscientiam* ipsam applicari, sed epitheton potius habendum esse *persuasionis*, qua *συνείδησις* nitatur, animadvertisit. Non ergo cum WETTIO et TYSSENO<sup>1)</sup> de conscientia *praecedenti* ac *subsequenti* hīc cogitandum censemus. Illi, in quibus illa, de qua PAULUS egit, γνῶσις non est, qui adhuc εἰδάλου *συνείδησιν* habent, ἀσθενεῖς sunt, quod quum ita sit, eorum tamen cf. Rom. XIV : 23, si carnem sacrificialem edunt, quippe qui ὡς εἰδωλόθυτον illam edant, *συνείδησις* μολύνεται. Vocabulum *συνείδησις* hīc iterum propria sua vi adhibitum esse quis est, qui non videt? Animadvertendum, Apostolum hoc loco homini, etsi ἀσθενοῦντι, conscientiam tamen pie esse colendam dilucide docuisse.

In eodem *capite* pergamus. Apostolus exponit, quid iis, qui meliorem γνῶσιν habent, si tales forte adsint, agendum sit. Eos sibi informat in idolorum sacro sedentes et edentes idolothyta, dum illius, qui ἀσθενῆς est, oculi in eos sunt conversi. Οὐχὶ — ita rogat vs. 10. — ἡ συνείδησις αὐτοῦ, ἀσθενοῦς ὄντος, οἰκοδομήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν; Recte WETTIUS verbo οἰκοδομεῖν h. l. propriam suam vim vindicavit<sup>2)</sup>;

---

Genieszenden in eine geheimnisvolle Verbindung mit ihm bringen musz, so sollst du nicht davon essen! das ist die *συνείδησις τοῦ εἰδάλου*.

1) D. H. H. TYSSEN. *Diss. Theol. PAULI Anthropologian exhibens.* Gron. 1847, p. 131.

2) STÄUDLINUS, l. l. p. 41 hacc scribit: „das Gewissen erbauen.“

haec vero conscientiae aedificatio *ruinosa* revera, ut cum CALVINO loquamur, *aedificatio* est. Qui, quum συνείδησιν εἰδὼλαν habeat, carnem sacrificialem edere non potest, si alium quemquam edentem conspicit, συνείδησιν ita *aedifieare*, *componere* potest, ut ipse etiam εἰδωλοθυτον, quod revera sacrum habet, edat. Exempli vis quum magna sit, PAULUS monet, ne quis efficiat, ut quod ipse, conscientia minime reprobante, agit, alii revera contra conscientiam agant. Si quis enim τὴν συνείδησιν ἀσθενοῦσαν τύπτει vs. 12. — *infirmam conscientiam laedit*, quod vs. 13. dicitur σκανδαλίζειν, etsi cum CHRYSOSTOMO τύπτει h. l. graviorcm, quam σκανδαλίζειν vim habere censendum sit — non tantum contra fratrem, sed contra ipsum CHRISTUM peccat. Gravissimum hoc loco ab Apostolo conscientiae momentum tribui satis superque appetet.

Iterum de idolothysis sermo est *Cap. X:25 seqq.* Fieri poterat, ut macellarius, antequam carnes ad macellum afferret, in aram aliquid de iis dedisset. Sa-

---

„Das heiszt nicht nur einen bewegen, dem rechten Gewissen „gemäsz zu handeln, sondern auch sein Gemüth dadurch aufrichten und erfreuen. PAULUS schreibt hier gewissormassen „ironisch und sarkastisch. Ohne Zweifel hatten die freier Denkenden und Urtheilenden an ihn geschrieben, dasz sic durch „ihr Beispiel das irrende Gewissen der Schwachen berichtigen und „bessern wollen. Das ist eine schöne Besserung, antwortet er „ihnen, andere dahin zu bringen, dasz sie wider ihr Gewissen „handeln und sie dadurch beunruhigen!“ Haecce STÄUDLINI conjectura ingeniosior mihi videtur, quam verior. Certe haud *omni dubio* me judice, *caret*. Evidem vehementer dubito, an talem hic accipi sarcasmum tota loci structura sinat.

cerdotes etiam partes, quae ipsis cedebant, in macello forte vendebant. Quideunque sit, quum in macello idolothyta adesse possent, Apostolus omnia, quae in macello venderentur, edenda nec quaerendum esse monet, utrum de iis aliquid datum sit in aram. Ita scribit vs. 25: πᾶν τὸ ἐν μακέλαιῳ πωλούμενον ἔσθιετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες, διὰ τὴν συνείδησιν. Sub judice lis est, utrum διὰ τὴν συνείδησιν referendum sit ad ἀνακρίνοντες, ad μηδὲν ἀνακρίνοντες, an ad ἔσθιετε μηδὲν ἀνακρίνοντες. Si quis cum MEYERO postremo hocce sensu διὰ τὴν συνείδησιν conjungens cum ἔσθιετε PAULI dicta ita interpretatur, ut Apostolus libere edendum esse monuerit, quum συνείδησις non prohibeat, quominus, dum inquisitionem non instituimus, omnia, quae macellum praebet, edamus, eos, ad quos PAULUS haec dicit utpote ἀσθενεῖς sibi informet necesse est, quod hīc fieri non posse videtur, quum saltēm ii, ad quos Apostolus vs. 27 loquitur, libera cogitandi atque agendi ratione uti videantur. WETTIUS praeterea, quod OSIANDER laudat, linguae usum contra hanc, cui MEYERUS favet, interpretationem pugnare contendit. An vero recte OSIANDER, duce WETTIO, e MEYERI sententia hīc peculiariter de *bona conscientia* cogitandum esse effecerit, quam certe interpretationem vulgaris vocabuli συνείδησις usus non commendet, dicere non auserim. Potius contra MEYERUM ad Praepositionem διὰ provocaverim, cui an propriam suam vim hīc tribuat, dubito. Qui, duce CALVINO, locum ita interpretantur, ut διὰ τὴν συνείδησιν unice ad ἀνακρίνοντες referatur, homines, ad quos PAULUS scribit, itidem ut ἀσθενεῖς sibi informant, quippe quos con-

scientia, ut in macello in carnem inquirant, moveat. Cum OSIANDRO, si hoc in PAULI mente fuerit, διὰ τὴν συνείδησιν melius ante διακρίνοντες positum fuisse statuimus. Praeterea, quod contra MEYERUM valet, homines ἀτθενεῖς sibi informantem, hīc quoque obtinet. Superest ergo, ut διὰ τὴν συνείδησιν conjungamus cum μηδὲν ἀνακρίνοντες. Variis autem modis hoc fieri potest. ROSENMÜLLERUS, duce CHRYSOSTOMO explicat διὰ τὴν συνείδησιν: *ne conscientia turbetur.* Ita quoque ἀτθενεῖς cogitantur, qui quum εἰδωλόθυτα edunt, conscientiam laedunt, quod improbandum censemus. Aliter ESTIUS, qui συνείδησιν interpretatus *persuasionem, idola non exstare,* μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν explicat: *nihil quaerentes, quum ipsa conscientia, quominus in id inquiratis, prohibeat.* Tales igitur, ESTIO judice, hīc proponuntur, quales τὴν συνείδησιν τοῦ εἰδώλου non habent. Hoc laudamus, vituperamus autem in ESTII sententia, ita hocce PAULI praeceptum omni sua vi deprivari. Ille enim, quem ipsa conscientia libere in macello sine inquisitione scrupulosa emere jubet, admonitione non eget, ne in quidquam dubius inquirat. Nihil restat, quam ut διὰ τὴν συνείδησιν ad μηδὲν ἀνακρίνοντες referentes non τὴν ἔαυτοῦ sed τοῦ ἑτέρου συνείδησιν hīc intelligi statuamus. Ita BENGELIUS, WETTIUS, OSIANDER, alii. MEYERUS neminem, hunc locum insipientem, hanc interpretationem amplecti posse existimat, quum demum, quod vs. 28 occurrit, δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα ad alterius conscientiae notionem inducendam viam paret. MEYERO autem non assentior, ideo ante vs. 28 de alterius conscientia cogitari non posse existimanti. Nec tamen WETTIUS assentientem me ha-

bet, ex eo, quod eadem formula, quae vs. 28 occurrit, vs. 25 et 27 item legitur, eandem, quae vs. 29 datur, interpretationem in triplici illo loco valere contendens. Evidet ad vs. 24 provocandum censeo, unde effici velim, recte a vs. 25 inde *alterius rationem haberi*, quum cum OSIANDRO antithesin  $\mu\eta\tau\omega\acute{\eta}$   $\acute{\epsilon}\alpha\omega\tau\omega\acute{\eta}$ ,  $\alpha\lambda\lambda\alpha\tau\omega\acute{\eta}$   $\acute{\epsilon}\tau\epsilon\rho\omega\acute{\eta}$  facile e vs. 29 huc afferri statuan. Quid GÜDERUS hac de re sentiat, non liquet. STÄUDLINUS<sup>1)</sup> false inter omnes interpretes constare scribens, hīc  $\tau\eta\tau\omega\acute{\eta}$   $\acute{\epsilon}\alpha\omega\tau\omega\acute{\eta}$   $\sigma\omega\acute{\epsilon}\delta\eta\sigma\omega\acute{\eta}$  intelligendam esse, (Off. MORUS, MOSHEMIUS, BENGELIUS) ipse tamen alterius conscientiam cogitandam esse censem, vocabulum  $\sigma\omega\acute{\epsilon}\delta\eta\sigma\omega\acute{\eta}$ : *persuasionem* aut *opinionem moralem* interpretatus<sup>2)</sup>. Nulla vero mihi causa videtur, quare ita  $\sigma\omega\acute{\epsilon}\delta\eta\sigma\omega\acute{\eta}$  notionem ad *opinionem moralem* restringamus. Praeterea non cum STÄUDLINO de eo, qui in macello vendit, hīc cogito, sed universe omnem carnem quae in macello vendatur, i. e. quae exstet, sine ulla inquisitione e PAULI sententia emendam censeo, ne quis, si hoc audiat, discriberet inter hanc alteramque carnem valere arbitratus, talem *conscientiam* inde sibi vindicet, qualcm Cap. VIII:7  $\sigma\omega\acute{\epsilon}\delta\eta\sigma\omega\acute{\eta}$   $\tau\omega\acute{\eta}$   $\acute{\epsilon}\lambda\acute{\alpha}\omega\acute{\eta}$  Apostolus dixerit. Recte STÄUDLINUS ad hunc vs. 25 explicandum ad vs. 27 provocat. Apostolus,

---

1) L. l. p. 42.

2) Haec habet: „Paulus will, dasz man nicht danach fragen soll, ob das feile Fleisch von heidnischen Opferthieren sey oder nicht, damit nicht der, welcher es verkauft, auf die irrite Meinung geleitet werde, dasz es von anderem Fleische verschieden sey und dasz die Christen selbst diesen Unterscheid machen.“

si quis ab infidelium quoquam in convivium invitetur, omnia, quae offerantur, edi jubet, nihil vero inquicendum censem, ne illi, qui adsunt, infirmiores Christiani hunc quoque fratrem idolis fidem habere existiment et corum igitur συνείδησις laedatur. Si quis<sup>1)</sup> vero indicaverit, qualis illa caro sit, non edendum esse PAULUS monet, et hoc quidem δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα καὶ τὴν συνείδησιν, vs. 28. BENGELIUS, STÄUDLINUS, MEYERUS καὶ τὴν συνείδησιν per ἐν διὰ δυοῖν explicant et epexegetice accipiendum censem. WETTIO hoc cum verborum structura non convenire contendenti assentiri nequeo. Melius ex ipsius PAULI explicacione, vs. seq. data argumentum contra illam sententiam petit. Imprimis autem attendi velim, illius, qui εἰδωλόθυτον indicaverit, συνείδησιν laedi non potuisse, siquidem ethnicum eum fuisse reete statuimus. Non enim video, quomodo ethnicus Christianum carnem edentem conspiciens, quam εἰδωλόθυτον ille habet, hunc CHRISTI sectatorem idola colere inde efficere possit, quod WETTIUS statuit. Alterum igitur, quod WETTIUS nuncupat, convivarum genus, unice hīc intelligendum puto, quod Christianis infirmioribus contineatur. Si ethnicus quidam carnem εἰδωλόθυτον esse indicat, nonnulli,

1) ROSENMÜLLERUS, GROTIUS secutus, hīc ipsum hospitem intelligendum putat. Contra hanc sententiam pugnat indefinitum Tīc. MEYERUS de *Christiano homine*, qui sive e Judaeis, sive ex Ethnicismo ad Christianam religionem accessit, cogitat. Talis vero si fuit, valde scrupulosus sane fuit. Cum WETTIO hominem ethnicismo addictum hīc loquentem mihi informo, unde fortasse explicandum, nonnullos pro εἰδωλόθυτον legere ἱερόθυτον.

*συνείδησιν τοῦ εἰδώλου* habentes, hinc abstinendum existimant. Horum conscientiam haud negligendam esse Apostolus monet. Hoc autem ob *alienam*, non ob ipsam suam, quam quis habet, conscientiam, ita fieri diserte PAULUS indicare pergit, scribens vs. 29: *συνείδησιν δὲ λέγω, οὐχὶ τὴν ἔσωτοῦ, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἑτέρου* et causam simul tradit, quare de propria cuiusvis conscientia cogitare non potuerit, quum addit: *ἴνατὶ γὰρ οὐκ ἐλευθερίᾳ μοῦ κρίνεται ὅπδα ἀλλῆς συνείδησεως*; SCHULZIUS et POTTIUS adversarium haec dicentem induci putant, ad infirmitatem fratrem suorum sese conformare nolentem. OSIANDER, ut hanc interpretationem refutet ad *particulam γὰρ* provocat, qua male objectionem adduci statuit. Melius MEYERUS ad *οὖν* vs. 31 attendit. Imprimis autem cum OSANDRO animadvertisendum est, ideo SCHULZII ac POTTII admitti non posse sententiam, quod nulla refutatio nec responsum sequatur. Duce CALVINO multi, inter alios, RÜCKERTUS et OLSHAUSENIUS, hisce, de quibus agimus, verbis, argumentum dari existimant, quo praeceptum nitatur, ne quis in eo, quem vs. 28 ponit, casu, edat, et locum vertunt: *quare aliis me iudicandi atque improbandi opportunitatem dabo?* Hanc versionem utpote ab ipsis, quae h. l. occurrunt, verbis plane alienam, cum MEYERO et WETTIO rejiciendam censeo, nec sane causa fuit, quare OSIANDER hac in re dubius haerere debuerit. Praeterea hic non requiritur argumentum, quo defendatur praeceptum, quod vs. 28 occurrit, sed causa quaeritur, quare PAULUS *οὐχὶ τὴν ἔσωτοῦ, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἑτέρου συνείδησιν* intellexerit. Haec causa redditur, si cum BENGELIO, WETTIO, MEYERO hujus loci sen-

sum hoc redire statuimus: *quare libertas mea judicabitur*, i. e. *condemnabitur ab aliena conscientia?* PAULUS ἐλευθερίαν dicens, conscientiam ipse suam ob oculos habuisse mihi videtur, quam ἐλευθερίας nomine indicat, quum conscientiam a CHRISTO ita liberam redditam agnoscat, ut quod ad talia attinet, omnia revera sibi licita habeat. cf. vs. 30, 31, 1 Tim. IV:4<sup>1</sup>). Conscientia ergo toto loco intimum animi habitum spectat.

De altera ad Corinthios Ep. videamus. Cap. I:12. PAULUS τὸ μαρτύριον τῆς συνείδησεως memorat, quippe quo se ἐν ἀπλότητι (alii habent: ἀγιότητι) καὶ εἰλικρινεῖᾳ θεῷ vixisse testari possit. Hoc conscientiae testimonium καύχησιν i. e. gloriandi materiam habet. Ita enim cum WETTIO contra MEYERUM vocabulum καύχησις h. l. interpretor. Apostolus συνείδησιν nuncupans, toto animo se talis, qualem hīc describit, mentis habitum sibi conscientium esse indicat.

Cap. IV:2. PAULUS se omnia dedecoris occultamenta abjecisse, nec Evangelium deformare i. e. ab omni Evangelii obscuratione ac deformatione se abstinere professus τῇ φανεράτει τῆς ἀληθείας ἐαυτὸν συνιστῶν dicit πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Vulgo interpretes

1) Ita GÜDERUS etiam h. l. accipere videtur l. l. p. 258. STÄUDLINUS l. l. p. 44 scribit: „hier wird zum höchst seltenen Beispiele Gewissen von dem Urtheile, welches einer nicht von sich selbst, sondern von einem andern fällt, gebraucht. Si recte vocabuli ἐλευθερία notionem percipere nobis contigit, voci συνείδησιν h. l. aliam, quam meram illam *judicii* significationem tribuendam esse patet.

verbum *συνιστάναι* h. l. *commendandi* significatione accipiunt. Si ita vero sumitur, *Dativus objecti* mihi requiri videtur. *Rom.* XVI : 1, 2 *Cor.* V : 12. Cum RÜCKERTO ergo primitivam *sese componendi* significationem hīc accipiendo puto, et Dativo τῷ Φανερώσει τῆς ἀληθείας formam indicari censeo, qua Apostolus in Evangelio annunciando *sese componere* velit. WETTIO assentiri non possum πρὸς πᾶταν συνείδησιν ἀνθρώπων, quod ad sensum, idem esse affirmanti, atque πρὸς συνείδησιν πάντων τῶν ἀνθρώπων, qua scilicet forma si PAULUS usus fuisset, non ita ad individuam cuiusvis hominis συνείδησιν, me judice, attendisset. Si quis vero quaerit, quare non ab Apostolo simpliciter dictum sit πρὸς πάντας ἀνθρώπους, cum GÜDERO<sup>1)</sup> animadvertisendum,

1) GÜDERI verba, etsi τῷ *συνιστάναι* *commendandi* vim h. l. tribuat, legi tamen merentur: „Freilich ist das Vorhandenseyn „der Lauterkeit, der geraden Offenheit in der Wirkungsweise des „Apostels zunächst Gegenstand der erkennenden und urtheilenden „Beobachtung von Sciten der Menschen. Allein diese begründet „für sich allein noch kein sittlich-persönliches Verhältnisz zwi- „schen mir und dem Andern; selbst wo sie günstig ausfällt, „empfiehlt sie doch nicht. Diesz bewirkt erst die Function jener „ethisch-practischen Bezeugung des Erkannten an das sich selbst „bestimmende subject, welche wir als das Gewissen kennen: „Oder, wenn sich Z. B. die Lauterkeit eines Verkündigers des „Evangeliums erkenntniszmäzig constatirt hat, und diese Er- „kenntnisz sich nun der Selbstthätigkeit auf dem Grunde der „religiös-sittlichen Anlage zumuthend bezeugt, wird es dann nicht „ungefähr lauten bei mir: dieser ist deines Vertrauens werth; „den darfst, den sollst du hören? So kanz denn das Gewissen, „wo es sich um das sittliche Verhältnisz zu Andern handelt, „sowohl empfehlend als warnend wirken,” u. s. w. l. l. p. 292.

revera συνείδησιν esse, qua alter alteri se commendare debeat. PAULUS igitur in Evangelio annunciendo sese ita componens, ut τῇ Φωνερώσει τῇς ἀληθείας ad πᾶταν συνείδησιν ἀνθρώπων accedat, ipsam hominum, qui eum audierunt (false CHRYSOSTOMUS universc de omnibus cogitavit hominibus, cum *ethnicis*, tum *Christianis*) συνείδησιν se spectare contendit. Se autem ita ἐνάπιον Θεοῦ, i. e. *coram Deo* agere affirmans, recta via sese procedere testatur.

In eadem hac *Epistola* tertius restat locus *Cap. V:11.* Postquam Apostolus omnes olim homines manifestatum iri vs. 10 docuit coram ultimo CHRISTI judicio, ut inde quisquam auferat secundum id, quod bonum malumve egit, ita pergit vs. 11: εἰδότες οὖν τὸν Φόβον τοῦ Κυρίου, ἀνθρώπους πειθομένους, θεῷ δὲ πε-Φωνερώμεθα. ἐλπίζω δὲ καὶ εὐ τοῖς συνειδήσεσιν ὑμῶν πεφωνεράσθαι. Dissentient v.v. D.D. utrum τοῦ κυρίου *Genitivus objecti* sit an vero *subjecti*. Mihi Genitivus *objectivus* hīc adesse videtur, cum ob communem, quem WETTIUS attendit, hujus formulae usum, *2 Cor. VII:1. Eph. V:21* (יְהוָה יְאֱרָרֵךְ) tum vero imprimis ob ea, quae sequuntur. PAULUS, se CHRISTUM Ejusque judicium revereri persuasum sibi habens, Ei placere studet, vs. 9. Hanc vero persuasionem quum habeat, ἀνθρώπους πείθει, i. e. iis *persuadere co-natur*, ut idem, quod ipse, de CHRISTO judicio statuentes, iisdem quibus ille, studeant. Arcte igitur illud πειθομένους επι εἰδότες τὸν Φόβον τοῦ κυρίου conjungo, quod male WETTIUS in RILCKERTO ac MEYERO improbare videtur, a quibus tamen in eo differo, quod hi PAULUM hominibus persuadere velle statuant, se

ipsum *talem* revera esse, qualem dixerit, εἰδότα τὸν Φόβον τοῦ κυρίου. Qui enim cum BENGELIO et WETTIO locum interpretantur: *ita nos gerimus ut homines, nisi nolint, probare nos possint ad sequentia*, vs. 12, magis quam ad praecedentia attendere videntur, quod idem valet de ESTII sententia: *nimirum hominibus persuadere nostram integritatem.* Qui vero, ut vulgo fit, πείθειν supplant *ad fidem* aut *ad Evangelii doctrinam amplectandam*, aliquid in textum inducunt, quod an h. l. fieri possit, dubito. Hac autem CHRISTI reverentia sese uti, tam magni habet momenti, ut dum hominibus persuadet, ut idem sentiant, se illud sentire iterum addat, scribens: θεῷ δὲ πεφανερώμεθα, i. e. Deus, qui totum me perspexit, me quoque novit utpote εἰδότα τὸν Φόβον τοῦ κυρίου. Nec sufficit, ut ad Deum provocet, ἐλπίζω δὲ — ita Corinthios alloquitur — καὶ ἐν ταῖς συνειδήσεσιν ὑμῶν πεφανερώσθαι. Sperat. i. e. confidit, ut Corinthii etiam consciū sibi sint interno animo, eum in omnibus omnino, quae agat, τῷ Φόβῳ τοῦ κυρίου duci. Iterum ergo συνειδήσις non mentis judicium, quod BRETSCHNEIDERUS, SCHIRLITZIUS in *Lexx.* alii, hīc obtinere censem, sed *conscientiam*, proprie ita dic-tam, denotat. PAULUS ita animi sui habitum illustrans, revera καρδία, οὐκ ἐν προσέπιψι vs. 12 gloriari censendus est.

Ad *Epistolas*, quae dicuntur *pastorales*, accedimus. Necessitudinem imprimis hīc indicat Apostolus, quae *fidem* inter *bouamque conscientiam* exstat. De singulis locis videamus.

Primo *prioris ad Tim. Ep.* capite, vss. 3, 4. PAULUS TIMOTHEUM *Ephesinos* monere jubet, ne ad fabulas et genealogias abeant, quae lites potius creent,

quam fidem aedificant, quod procul dubio improbanum, quum τὸ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ παθαρᾶς καρδίας καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς καὶ πίστεως ἀνυπόπορτου, vs. 5. STÄUDLINUS συνείδησιν h. l. interpretatus: *gute Gesinnung καρδίᾳ et συνείδησιν* idem significare male statuere mihi videtur. *Amor* ille, quem Apostolus commendat, tantummodo ἐκ παθαρᾶς καρδίας profuit, quum animus peccato serviens veri nominis dilectioni apertus esse vix possit. Καρδία vero παθαρὰ esse nequit, nisi συνείδησις sit ἀγαθὴ i. e. *nisi homo culpa sese vacare conscientius sibi sit.* Talis autem συνείδησις ἀγαθὴ postulat πίστιν ἀνυπόπορτον, quippe qua homo Dei in CHRISTO datam gratiam accipiat, atque ita coram Dco justificatum sese sentiat. GROTIUS igitur genealogiam a PAULO hīc tradi existimans<sup>1)</sup> me assentientem non habet, quum potius coördinatim καρ-

1) GROTIUS haec habet: „ex fide minime facta nascitur bona conscientia, i. e. abstinentia a peccatis. Hinc puritas cordis i. e. „interior. Hinc porro dilectio.” Quomodo ex abstinentia a peccatis interior cordis puritas nasci possit, non intelligo. Ita causa ex effectu proficiscitur, Melius GÜDERUS l. l. p. 287: „die Liebe „entstammt einem von Sündenschuld frei gewordenen, mit Gott „gefeinten Herzen. (Luc. VII:47), das sich selber wieder in „einer συνείδησις ἀγαθῇ bezeugt, und das gute Gewissen wäre „danach hier die innere Bezeugung an das Subject, dasz sich „nichts Verdammliches mehr finde an ihm, weil es Christo Jesu „eingepflanzt sey.” Nec tamen GÜDERUS ab ordine genealogico hīc statuendo plane alienus est, l. l. Verborum autem, quibus PAULUS usus est, ordine non inverso, quod GROTIUS fecit, e παθαρᾶς καρδίας συνείδησιν ἀγαθὴν et ε συνειδήσεως ἀγαθῆς, πίστιν ἀνυπόπορτον, quam interpretatur: *fidem vita probatam, ducere* videtur.

*πίστην*, συνείδησιν et πίστην h̄c conjunctas censemus. Attamen necessitudinem πίστην inter et συνείδησιν agnoscimus arctissimam eamque ab Apostolo ejusdem hujus *Capitis* vs. 19, disertius indicatam. PAULUS TIMOTHEUM τὴν καλὴν στρατείαν στρατεύειν monet ἔχοντα πίστην καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, ὃν τινες ἀπωτάμενοι, περὶ τὴν πίστην ἐναντίγνωσαν. Aliam h. l. πίστην intelligo, quam vs. 5, fidem nempe verae *Evangelii doctrinae habitam*, quum, qui h̄c περὶ τὴν πίστην υκαγήτας dicitur, HYMENEUS, secundum 2 Tim. II : 17, περὶ τὴν ἀληθείαν ἡστόχησε. Quaenam autem sit necessitudo hanc πίστην inter et συνείδησιν ἀγαθὴν, indicandum est, nisi forte cum HEIDENREICHIO hoc negligendum censemus, quod eo minus probandum videtur, si attendimus ad seqq.: ὃν τινες ἀπωτάμενοι περὶ τὴν πίστην ἐναντίγνωσαν. GÜDERUS<sup>1)</sup> συνείδησιν fidem practicam habet, atque hominem, qui hanc fidem abnegaverit, theoreticac quoque fidei mox jacturam facturum a PAULO h̄c significari statuit<sup>2)</sup>. Συνείδησιν h. l. iterum de *conscientia* accipio, quae ἀγαθὴ est, quum homo culpa se vacare conscius sibi est. Qui revera πίστην habet, hac certe conscientia, Dei gratia, fruitur. Hanc vero συνείδησιν homo ἀπώσατο<sup>3)</sup> quum male agens talem sese praestat, ut con-

1) L. l. p. 285.

2) Aliam eodem loco *conscientiae* notionem exhibere videtur, scribens: „indessen kann man das gute Gewissen zurück und „von sich stossen, kann der vom Gewissen bezeugten Anforderung „des Glaubens an unser Verhalten widerstehen, und negirt dann „eben damit factisch den Glauben zusammt seinem Inhalt.” p. 285.

3) Participii enim ἀπωτάμενοι objectum intelligo συνείδησιν. Illud ἢν alii ad στρατείαν referunt, quod vero èt remotius esse

scientiae vox contra eum testetur. Si quis vitae rationem ita mutat, fieri non potest, quin *fidei* gravem faciat jacturam. Ita igitur *πίστις* et *συνείδησις* conjunguntur. Quod GÜDERUS animadvertisit, fidem exstare non posse, nisi *συνείδησις* co impellat, atque igitur ἀγαθὴ sit, hoc, per se quodammodo verum, ab hoc tamen loco alienum nobis videtur.

Iterum *συνείδησις* cum *πίστει* conjungitur 1 Tim. III : 9, ubi Apostolus diaconos τὸ μυστήριον τῆς πίστεως habere jubet ἐν καθαρῷ συνείδησει. HEINRICHIUS Apostolum καθαρὸν συνείδησιν memorantem hoc loco diaconos monere existimat, ne in munere suo fungendo fraudem committant. Ampliore sensu *συνείδησιν* dictam existimo. Hominem, absconditam CHRISTI veritatem fide amplexum, καθαρὸν συνείδησιν habere oportet, non ita, quod GÜDERUS imprimis animadvertisit, quia nisi hacc *συνείδησις* adsit, fidem arripere nequit, sed praesertim, quia ille, cui *fidei mysterium* traditum est, ab omni parte animum purum integrumque conscientiam ostendat necesse est, tum si per se consideratur, cum si munere fungitur.

Unus in hac *Epistola* locus restat, Cap. IV : 2. Apostolus de falsiloquis loquitur, Christianis olim multa denegaturis, quae Deus ipse iis concessit. Hos hypocrytas PAULUS κεκαυτηριασμένους dicit τὴν ἴδιὰν συνείδησιν. Proprie καυτηριάζειν cauterio notare, i. e. ferro stigmata inurere significat. Barbari nonnulli, ut *Thra-*

---

èt male cum verbo ἀπωλεῖσθαι conjungi mihi videtur. Si quis dubitet, utrum hoc verbum otiam de iis, quae nobis insunt, rejiciendis usurpetur, cf. LXX. ad *Hos.* IV : 6.

ces (*Her.* V. 6.) cuti signa quaedam imprimere solebant, unde nonnulli hanc metaphoram ductam putarunt. Melius autem ad servos provocamus, quibus, ut facilius discernerentur, notae inurebantur<sup>1)</sup>. Quaeritur, quamnam vim haec metaphora habeat. Tertium comparationis vel in eo esse potest, quod dolores significantur, quos conscientia vulnerata affert, vel in eo, quod sensum moralem deprimi intelligamus, ut e corpore, cui stigmata inuruntur, sensus paulatim cedat, vel in eo, quod dedecus indicetur, quod *αὐτοκατάκριτος*, *Tit.* III : 11 secum ferunt, haud minus, quam ii, quibus cauterium notam inussit. Postremo hoc sensu accipiendum mihi videtur. Falsiloqui onera impouunt aliis gravia illa ac minime necessaria, ipsi vero nihil curant, quid agant ac cogitent, immo in eorum συνειδήσει multa insunt stigmata, quae improbos eorum mores manifestant; ipsi sibi scelerum conseii sunt, et aliis officia imponunt, quasi ipsi in officia sua praestanta strenue incumbant. Συνειδήσις ergo internum animi habitum denotat, qualem illi φευδολόγοι ipsi sibi conspicuum habent. Ita WETTIUS, HEIDENREICHIUS, LEO, STÄUDLINUS, GÜDERUS.

In altera ad TIMOTHEUM *Epistola cap.* I : 3. PAULUS scribit: Χάριν ἔχω τῷ θεῷ, ὃ λατρεύω ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρῇ συνειδήσει, ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σου μνεῖαν ἐν ταῖς δεήσεσι μου νυκτὸς καὶ ἡμέρας. CALVI-

1) Cf. BENECKE, ad *Cic. Or. in Cat.* I. c. 6. „Quae nota „domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuae est.” Eadem *imago* occurrit, *Cic. de Off.* III. 21. „Conscientiae labes et vulnera „habere in animo” CLAUDIANUS habet: „quid demens manifesta „negas? En pectus inustæ deformant maculae.” *In Rufin.* 2. 504.

NUS ἀπὸ προγόνων interpretatur: *testatur se Deum colere*, quem a majoribus acceperat, *Deum scilicet Abraham*, qui se patefecit *Judeis*, ita ut unum cum proavis suis et eundem *Deum colat*, sed nunc colat sincero cordis affectu, ex quo per evangelium erat illuminatus. Illud vero ἀπὸ προγόνων omnino mihi conjungendum videtur cum ἐν καθαρῷ συνειδήσει cum ob loci structuram, tum ob totam sententiam. Hacc conjunctio obtinet, si cum WINERO<sup>1)</sup> de mentis habitu cogitamus, a proavis PAULO tradito. Recte GÜDERUS l. l. animadvertisit, hīc non ipsius PAULI proavos unice intelligi, sed universae gentis Israeliticae parentes. PAULUS igitur sese proavos secutum ἐν καθαρῷ συνειδήσει Deum colere professus est. Hanc καθαρὰν συνειδήσιν interpreter: *puri sincerique animi conscientiam*, non vero, quod HEIDENREICHIUS admittere videtur, *vitam virtuti strenue dicatam* intelligo<sup>2)</sup>. GÜDERUS καθαρὰν συνειδήσιν non stricto, sed vulgari sensu accipiendam esse monet, ita ut de ethnici et Judaici hominis conscientia dici etiam possit. Etsi vocabulum καθαρὸν non nimis esse urgendum facile concedamus, non tamen hīc causa latere mihi videtur, quare Apostolus sibi, Judaicae antea religioni addicto, *puram conscientiam* tribuere potuerit.

1) Grammatik d. n. T. Sprachdioms. Ed<sup>o</sup>. 6<sup>a</sup>. p. 333.

2) CHRYSOSTOMUS haec habet: οἵτις τὸ συνείδησις αὐτοῦ οὐκ ἐν βλαβήν· ἄλλως δὲ ἐνταῦθα περὶ βίου Φησὶ, καὶ πανταχοῦ τὴν συνείδησιν τοῦ βίου λέγει — καλῶς συνιστησιν αὐτοῦ τὸ θέος. Ήνα δέξιοπιστον δειχθῆ τὸ περὶ τὴν ἀγαπήν. "Ο δε λέγει τοῦτο ἔστιν· οὐδὲν φεύδομαι, οὐδὲ ἄλλα ἔχω, καὶ ἄλλα λέγω.

Conscientia nostra καθαρὰ est, si aliquid agentes, consciū nobis sumus, nos in eo ita versari, ut notiones strenue squamur, quas de bono malove habeamus. Male igitur WETTIUS, PAULUM haud differre modum, quo Judaici et Christiani Deum colant, hīc docere false arbitratus, hunc locum spurium habet. PAULUS, quum κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ esset ἀμερπτος, καθαρὸν habuit συνείδησιν, quum revera Deo sese placere putaret. Non ipsa *lex Mosaica*, et *Evangelii* doctrina h. l. coniunguntur, sed Apostolus proponitur, quippe qui in utraque illa religionis forma animo sincero sese Deo probaverit. Alterum WETTIUS argumentum adducit ad hunc locum utpote spurium rejiciendum, petitum illud ex arrogantia, in laudibus posita, quas PAULUS hīc sibi tribuit. Quod ad ipsas illas laudes attinet, haud parum refert, quomodo καθαρὰν συνείδησιν interpretandam censeamus. Ceterum si quis PAULUM hasce laudes sibi non tribuere potuisse existimet, inspiciat *Act. App.* XXIII : 1. Quod superest, PAULUM hacc h. l. scripsisse, eo praesertim consilio, ut firmiorem TIMOTHEO pararet persuasionem, se revera in Apostoli memoria ac precibus vivere, cum HEIDENREICHO statuere non dubitamus.

In *Epp. pastoralibus* unus restat locus : *Tit. I : 15.* πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς· τοῖς δὲ μεμισμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρὸν. ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ δὲ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις. WETTIUS hīc non praecedentem, sed subsequentem intelligi συνείδησιν animadvertisit, νοῦν vero non intellectum, sed mentis habitum significare monet. Cum BECKIO<sup>1)</sup> totum animum hu-

1) L. l. p. 49.

manum his formulis designari puto, ita quidem ut *νοῦς mentis habitum per se consideratum* significet, qui *μεμιασται*, quum vitiis est obnoxius, *συνείδησις* autem eundem *mentis habitum* indicet, sed ab illa parte spectatum, qua quisque ipse sui conscius est. Haec *συνείδησις* ergo *μεμιασται*, quum *νοῦς* est *μεμιασμένος*. Praeterea *συνείδησις μεμιασμένη* dici potest, quum θεὸν δικαιογός των εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται, vs. 16<sup>1)</sup>). Antequam de *Epistola ad Hebreos* agimus, binos locos ex *Actt. App.* libro citemus, ubi PAULUS *συνείδησιν* memorans induetur.

Prius inspiciamus *cap. XXIII : 1*, ubi PAULUS ad Judacos dicit: ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ πάσῃ συνείδησει ἀγαθῇ πεπολιτευμένῃ τῷ θεῷ ἤχρι ταύτης τῆς ἡμέρας. Apostolus indicare voluit, se semper, et quum Judaismo adhuc addictus esset, et postquam CHRISTUM fide amplexus fuerit, ita vixisse, ut illud strenue se egisse profiteri auderet, quod ipse bonum ratumque haberet. *Συνείδησις* ergo h. l. animum indicat, quo cuiusvis rei quam egerit, homo se conscient et bona dici

---

1) GUIDERUS haec scribit, (l. l. p. 278): „ihr *νοῦς*, die Sinnesweise, in der sich die religiös-sittliche Richtung des Subjects, abgesehen von seiner idealen Bestimmung, zunächst ablagert, und mit der sie an die Objecte herantreten, ist der Natur der Sache nach eine in der Sünde gefallene, von der Sünde infirme, mehr oder weniger in ihrem Dienste stehende und dadurch befleckte Sinnesweise. Desgleichen ist auch ihr Gewissen, soweit es einerseits die dem Selbstbewusztseyn immanirende ideale Bestimmung vertritt, und andererseits wieder von deren Negation durch den befleckten *νοῦς* und dessen Thun zu Handen des Selbstbewusztseyns Act nimmt, befleckt.“

meretur, si quis non habet, quod culpac reum sese existimet. Vocabulum *πάσῃ* addidit Apostolus, ut hanc conscientiam sibi integrum esse significaret; formulam *τῷ θεῷ* adjecit, ut se tale quid coram Deo profiteri ausum ostenderet<sup>1)</sup>). Ceterum recte GÜDERUS *συνείδησεως* interpretationem, quippe *persuasionis de eo, quod rectum sit* rejicit, quam STÄUDLINUS praetulit<sup>2)</sup>). PAULUS hīc universam vitam cogitat, nec tantummodo, quod SCHLEUSNERUS in *Lex. N. T.* statuit, apostoli et doctoris Christiani officia ob oculos habuit, quam SCHLEUSNERI opinionem STÄUDLINUS refutavit.

Alter locus exstat cap. XXIV : 16. PAULUS coram FELICE, *Caesareae* Procuratore, causam suam agens, se hanc in Deum spem habere confitetur, fore ut sit ἀνάστατις νεκρῶν, δικαιῶν τε καὶ ἀδίκων vs. 15. Hoc quum ita sit, i. e. hanc spem quum habeat — ita enim ἐν τούτῳ accipiendum puto — αὐτὸς ἀσκῶ — ita Apostolus pergit — ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τὸν ἀνθρώπους δικτυαντός. Quaeritur, quid adjectivum ἀπρόσκοπος significet. Fuerunt, qui *συνείδησιν* ἀπρόσκοπον interpretarentur συνείδησιν, quae Apostolum ἀπρόσκοπον i. e. purum atque *insontem* esse testetur.

Ipsa autem συνείδησις ἀπρόσκοπος dicitur, nec causam video, quare ab ipsorum verborum primitiva significatione abeamus. Praeterea, qui ita συνείδησιν ἀπρόσκοπον

1) STÄUDLINUS *τῷ θεῷ* Hebraïsmum habet. (בְּנֵי אֱלֹהִים) et PAULUM hoc addidisse censem, ut se Judaeorum Deum minime negligere indicaret. Hoc mihi a loco nostro alienum videtur.

2) L. l. p. 28. Cf. vero p. 29 ubi STÄUDLINUS aliter rem exponit.

explicant, adjectivum illud passive accipiunt, quum 1 Cor. X:32. Phil. I:10 activa vi oecurrat. Hanc vero significationem passivam alii quoque adjectivo ἀπρόσκοπος tribuunt, qui illud tamen praedicatum arete eum συνείδησις conjungunt. Ita STÄUDLINUS, BECKIUS, DELITZSCHIUS *conscientiam incolunem* interpretantur. Mihi GROTIUS placet, locum ita vertens: *exerceo me propter illam spem, ut conscientiam servem eam, quae nec Deum neque homines offendat;* a quo tamen in eo differo, quod conscientiam hīc ἀπρόσκοπον dici existinem, non quod *nec Deum neque homines offendat*, sed quod *ipsi Paulo nullum offendiculum praebeat*, quod quominus resurrectionis spem teneat incolunem, prohibere possit. Causa, quare STÄUDLINUS συνείδησιν ἀπρόσκοπον, ita sumtam, sibi informare non potuerit, in ipsa, quam συνείδησεως exhibuit, definitione quaerēnda est. *Conscientia* h. l. intelligitur, quae quum interna hominis vox nullam culpam ei exprobret, nullum offendiculum ei objicere potest. Ita fere GÜDERUS quoque locum explicat. Superest, ut *Epistolam ad Hebraeos* dataam adeamus.

*Cap. IX:9 dona et sacrificia, quae Israēlitae Iehovae offerebant, non posse dicuntur κατὰ συνείδησιν τελεῖσθαι τὸν λατρεὺσα. Sacrificia illa offerentem perfectum i. e. *talem, qualis* esse debuit, reddere non potuerunt, κατὰ συνείδησιν.* STÄUDLINUS voce συνείδησις h. l. aut *persuasionem*, aut *conscientiam*, proprie ita dictam, aut *ipsam mentem* intelligi statuit. Nobis cum WETTIO et BLEEKIO propria συνείδησεως notio hīc accipienda videtur. Aliter GÜDERUS<sup>1)</sup>, qui tamen, quod

1) Dicit (l. l. p. 279). „Das Gewissen ist hier nicht das

ad sensum, idem fere h̄c intelligendum censem, hominem πατὴ τονείδησιν τελειωθῆναι dicens, qui nullius sibi culpae conscious, in communionem cum Deo redire possit.

Iterum in hoc *capite* vocabulum *τονείδησις* occurrit, vs. 14. Si — ita auctor ratiocinatur — victimarum sanguis, quod ad corpus attinet, illum, qui sacrificia Deo offert, purum reddere potest, vs. 13, multo magis sanguis CHRISTI, qui sese Deo immaculatum obtulit, καθαριεῖ τὴν τονείδησιν ὑμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι. THEOPHYLACTUS et OECUMENIUS *τονείδησιν* h̄c ψυχὴν significare dicunt. Melius BLEEKIUS ipsum hominem intelligendum censem, quippe qui sui conscious sit. CHRISTUS igitur hominem ἀπὸ νεκρῶν ἔργων ita καθαρίζει dicitur, ut conscientia ipse sua se mundatum esse persuasum habeat. *Opera mortua* universe *legis Mosaicae* *praecepta* sunt, imprimis vero *ceremonialia*, quae νεκρὰ dicuntur, non ita, quod ipsa inefficacia sint ad salutem aeternam homini parandam, sed imprimis, quia hominem e morte, quam illi peccatum attulit, ad vitam reducere nequeant. CHRISTUS efficit, ut homines, conscientia duce, a talibus operibus abstinentes, Deum vivum colant.

*Cap. X : 2.* Formula occurrit *τονείδησις ἀμαρτιῶν*. Sacrificiis Judaeos plane mundari non posse auctor probat, quod si ita esset, *τονείδησιν ἀμαρτιῶν*, sacrificiis

---

„Innere des Menschen im weitesten Sinn, mit Einschluss des speziell sogenannten Gewissens sondern die ethische Bezeugung des „Verhältnisses, in welchem der thatsächliche Gesamtzustand der „Person und deren erkannte Bestimmung zu einander stehen.““

semel oblatisabituram fuisse contendens. Recte BLEEKIUS ἀμαρτιῶν conscientiae esse objectum dicit. Ea hominis conditio significatur, qua peccati sibi conscientius est. Si PAULUS hanc epistolam scripsit, multum lucis hoc loco iis affert, quae in locis, quos ex hujus Apostoli *epistolis* recensuimus, occurrunt. Conscientia hominis, propria sua vi, conscientia ἀμαρτιῶν est. Vox illa interna, quac in nobis testatur, semper, eheu! nos peccato esse subditos clamat. Ipsi Judaei toto, quem habuerunt, sacrificiorum ritu satis indicabant, se coram Jehova esse immundos peccatoque obnoxios. STÄUDLINUS poenae quoque metum hīc innui contendit, quod certe ab ipsa rei natura minus, quam a verbis alienum est. GÜDERUS non *mēram conscientiam* hīc intelligendam dicit, sed *activam quamdam conscientiam*, quae culpam simul peccatori imputet. Hoc vero in ipsa συνείδησεως ἀμαρτιῶν notione implicite inesse mihi videtur.

Cap. X:22 auctor Christianos monet, ut sanctuarium, quo ipse CHRISTUS, Pontifex Maximus, aditum aperuit, adeant, μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ἐξάντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνείδησεως πονηρᾶς. Verbum δαντίζειν, quod proprio *adspergendi* significance habet, *ex adjuncto* hīc significat: *ab immunditia purgare*. Συνείδησις πνηρὰ est in eo, qui culpae conscientius est. Quaeritur, quare καρδία a conscientia mala purgari debere dicatur. DELITZSCHIUS hoc explicare conatur<sup>1)</sup>), καρδία conscientiae *sedem esse* monens. Peculiaris autem verbi δαντίζειν notio ita quo-

---

1) L. l. p. 206.

dammodo negligitur. Melius GÜDERUS<sup>1)</sup> συνείδησιν tamquam οὐρδίαν a peculiari parte conspectam, aut οὐρδίας emanationem hoc loco intelligendam censet. Arete omnino hīc συνείδησις cum οὐρδίᾳ conjungitur, ita quidem ut συνείδησις sit ipsa οὐρδία, quatenus sui conscientiam habet, quo nomine quodammodo externa οὐρδίας species dici potest, quae igitur ἁντισμῆ purgatur. Quamnam vim *conscientia* in *fidem* habeat, ex hoc loco lueulenter patet.

Denique attendamus ad *Cap. XIII:18*, ubi legimus: πεποιθαμεν γὰρ, ὅτι οὐλὴν συνείδησιν ἔχομεν, ἐν πᾶσι οὐλῶς θέλοντες ἀναστρέψεσθαι. Posteriora haecce verba recte afferuntur ad οὐλὴν συνείδησιν explicandam, quae procul dubio in ea animi conditione cernitur, qua quis se illud velle, quod bonum, pulchrum verumque sit, conscientius sibi est. Recte GÜDERUS, BÖHMIUM οὐλὴν hīc pro ἀγαθῇ, dici statuentem ob sequentia οὐλῶς ἀναστρέψεσθαι, sequitur. Omnino hīc conferri merentur PAULI, quae attulimus, dicta, *Act. App. XXIII:1. XXIV:16. 2 Tim. I:3. 2 Cor. I:12.*

Ad PETRUM transeamus.

### § 3.

*Quid PETRUS de conscientia dixit?*

Tres in priore *Petri Epistola* exstant loci, ubi vocabulum συνείδησις memoratur. Primo videamus, quid sit συνείδησις ζεῦ, qua formula PETRUS usus est 1 *Petr.*

1) L. l. p. 282.

II : 19. Domesticos monens, ut omni reverentia dominis, non tantum bonis, sed duris etiam obsequantur, addit vs. 19: τοῦτο γὰρ χάρις εἰ διὰ συνείδησιν θεοῦ ὑποφέρει τὶς λύπας, πάτχων ἀδίκως. Multum interpretes in explicanda formula συνείδησις θεοῦ differunt. GROTIUS conscientiam eorum intelligit quae quis Deo debeat. MORUS explicat: quia Deus conscientis est tuarum misericordiarum. STOLZIUS religiosum coram Deo animum interpretatur. WOLFIUS conscientiam nostrum cogitat, quam bonam esse Deus testetur. Omnino cum STEIGERO, MEYERO, aliis, hīc cogitandum censemus de conscientia nostra, quae Deum objectum habeat, ita quidem ut, qui συνείδησιν θεοῦ habet, Dei divinaeque voluntatis conscientis sit. Non opus est, ut cum STEIGERO de divina quoque remuneratione hīc cogitandum esse statuamus. Recte STÄUDLINUS ad locum parallelum vs. 20 attendit: εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάτχοντες ὑπομενεῖτε, τοῦτο χάρις πάρα θεῷ. Si quis malo afficitur, quaestio est, an ἀδίκως hoc patiatur; si revera ἀδίκως ignominias suffert, magnum quid est, quia συνείδησιν θεοῦ habens, i. e. Deum esse secum repulans, et ea se fecisse, quae Deo placerent, bene sibi conscientius, Deum pluris se fecisse, quam homines, persuasum sibi habet<sup>1)</sup>). Ceterum in conscientia nostri revera conscientiam Dei inesse recte SCHENKELIUS et GÜDERUS monuerunt. Conscientia nos peccato esse ob-

1) STÄUDLINUS, l. l. p. 86. συνείδησιν ideo συνείδησιν θεοῦ dei contendit, quod praecepta et leges, quas conscientia praescribit, e divina voluntate ducantur. Non plane hoc convenit cum iis, quae apud eundem leguntur. l. l. p. 49.

noxios numquam argueret, nisi Deum exstare, a quo pendeamus omnes, cujusque sanctae voluntati satisfacere debeamus, certo certius posuissest<sup>1)</sup>.

1 Petr. III : 16 Apostolus Christianos monet, ut συνείδησιν habeant ἀγαθὴν, ἵνα ἐν ᾧ — ita eos alloquitur — καταλαλῶσιν ὑμῶν ἡς πακοποιῶν καταισχυθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμᾶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφῇ. STÄUDLINUS hoc loco συνείδησιν pro universa vitae regundae ratione sumtam esse putat, ad ἀγαθὴν ἐν Χ. ἀναστροφῇ provocans. Mihi hīc de conscientia stricte ita dicta cogitandum videtur, quum ea, quae vs. seq. leguntur, tum demum bene intelligentur, si conscientiae notionem hic attulimus. Etenim, si quis, etsi bona perpetrans, malo tamen afficitur, illo, qui, quum mala perpetret, idem patitur, felicior est in ipso eo, quod conscientia culpa eum liberet. PETRUM de ἀγαθῇ ἐν Χ. ἀναστροφῇ loqui, optime intelligi potest, etiamsi συνείδησιν hīc *conscientiam* designare putarimus; συνείδησιν enim si quis puram habet, ἀναστροφὴ certe bona est.

Superest, ut agamus de loco, qui exstat 1 Petr. III : 21. Hīc βάπτισμα dicitur οὐ ταρκὸς ἀπόθεσις ὑπου, ἀλλὰ συνείδησεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν. Vocabulum ἐπερώτημα semel tantum occurrit in N. T. LXX ita reddiderunt Dan. IV : 14. שְׁאַלְתָּא cuius parallelum est בְּרִגְמָנָה. Rogationem ergo significat, quam vim verbum quoque ἐπερωτᾶν habet, cff. Rom. X : 20. LXX Gen. XLIII : 7. Scholia tamen Graeca ἐπερώτημα in-

---

1) TYSSENUS, l. l. p. 131. διὸ συνείδησιν θεοῦ explicat: propter conscientiam, quam quis habet, se Deum sincere colere.

terpretantur: ἀρρεβὼν, ἐνέχυρον, ἀπόδειξις, quod HUTHERUS, STÄUDLINUS, WETTIUS, alii, secuti sponcionem hīc intelligunt a baptizandis, ad quaestionem iis propositam, datam. Cum WINERO<sup>1)</sup> autem hanc interpretationem grammaticē probari non posse statuimus. Deinde quaeritur, utrum συνειδήσεως ἀγαθῆς Genitivus objecti sit, an vero subjecti. GÜDERUS Genitivum objectivū accipiens locum explicat de baptizando, qui rogat, quaerit, studet, ut ἀγαθὴν συνειδησιν εἰς θεὸν sibi vindicet. Quum ita συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα oppositum sit τῇ σωρὸς ἀποθέτει ῥύπῳ hanc GÜDERI interpretationem in universam hanc sententiam bene quadrare negari nequit. Nescio vero, an illud εἰς θεὸν ita cum συνειδήσει conjungi possit. Ad ἐπερώτημα illa verba referenda duco, cf. LXX. 2 Sam. XI:7; quod quum ita sit, mihi cum BENGELIO, STEIGERO, aliis, συνειδήσεως ἀγαθῆς Genitivus subjecti esse videtur. Bona ergo conscientia Deum quaerit. Recte STEIGERUS bonam conscientiam hīc nec bonorum operum, nec peccatorum jam remissorum, quod BENGELIUS statuit, conscientiam significare animadvertisit, sed ipsam conscientiam nostri, talem, qualis esse debeat, si ad Deum accedere homo velit<sup>2)</sup>). Qui igitur baptismum accipit, non ita negative corporis sordes abjicit, sed positive cum bona conscientia ad Deum se, salutis suae causa, vertit.

Ad finem hujus disquisitionis exegeticae perveni-

1) Grammatik des N. T. Sprachdioms. Ed<sup>o</sup>. 6<sup>a</sup>. p. 171.

2) Articuli geweten in op. Bijbelsch Woordenboek auctor ἀγαθὴν συνειδησιν h. l. interpretatur: een tot het goede besloten geweten.

mus<sup>1)</sup>). Breviter exponamus, quaenam ex iis, quae disputavimus, conscientiae notio utpote Biblica ducenda sit. Ita hanc partem claudimus.

1) JOHANNEM in primae *Ep. Cap. III*: 19-21 voce *μαρδίας* (μάρδιας) significare *συνείδησιν* recte STÄUDLINUS monet. Propositi autem nostri ratio non fert, ut de hoc loco fuse agamus. Cff. quae supra p. p. 47, 48 monimus. Multi Patres *Rom. XIV*: 23 *πίστιν* pro *συνείδησει* dici existimant, quod SCHENKELIO (HERZOG. *Real. Encyclop.*) quodammodo placet, aequa ac STÄUDLINO. Aliter judico. Totius capitinis argumentum idem est, de quo agitur *I Cor. VIII*. Apostolis eos, ad quos scribit, Christianos monet, ne alterum alter judicet in cibis edendis. Alter supra alterum judex sedere nequit; unusquisque sua in mente firmam habeat persuasionem. Ceterum, si quis fidem habet — ita pergit Apostolus vs. 22 — illam habeat in se coram Deo. Fidem hīc persuasionem de puritate cibi significare cum BENGELIO statuo, eandem illam persuasionem, qua quis infirmior esse posse dicatur vs. 2. Hanc persuasionem unusquisque habeat necesse est, qua ductus δοκιμάζει, i. e. *facto ostendit*, quid bonum probumque habeat — quasi in parenthesi vero PAULUS magni interesse indicat, quid ita certe persuasus quisquam bonum esse ducat, scribens: *μαρκέριος ὁ μὴ κρίνων ἔσωτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει* — hoc igitur simul curae habens, ne conscientia ipsum damnat in eo, quod certe persuasus approbat, persuasum tamen habere debet in omni re, quam agit — ὁ δὲ διαιτινόμενος, ἐὰν Φάγῃ, κατακέριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως. Quaenam alia *πίστις* hīc intelligi potest, quam fides de cibi puritate habita? Quam vero ob causam κέκριται, qui οὐκ ἐκ πίστεως edit? PAULUS ipse causam indicat: *πᾶν δὲ ὁ οὐκ ἐκ πίστεως ἀμαρτία ἔστιν*. i. e. *omne, quod quis an sit revera bonum non certe sibi persuasum habens, nihilominus perpetret, est peccatum*. Hacc si bene ita exposita sunt, conscientiae notionem hinc alienam esse sequitur.

§ 4.

*Conclusio.*

Nisi omnia me fallunt, una eademque, etsi non omnibus nominibus absoluta, *συνειδήσεως* notio in N. F. exhibetur<sup>1)</sup>. *Συνειδητις* in eo cernitur, quod homo sui conscientius sit, i. e. quomodo sese habeat, quid hac aliave de re sentiat et bonum malumque existimet, comper- tum habeat, ita vero, ut haec secum reputans conti- nuo, quomodo sese habere, quid sentire, bonum ma- lumque ducere debeat, agnoscat. Pro ipso animo ubi interdum poni videtur, propria tamen sua vi minime destituta est. *Hebr.* IX : 9, 14. In loco classico *Rom.* II : 15, ab animo (*χαρδία*) discernitur et ipsa testimo- nium edere dicuntur, cf. *Rom.* IX : 1. Quum semper animum sequatur, numquam non agnosci debet *Rom.*

---

1) Aliter STÄUDLINUS, qui vocabulo *συνειδητις* significari conten- dit in N. F. 1°. *Die angeborene Kraft oder der Actus des Gemüths*, wodurch der Mensch sich selbst nach Maassgabe des moralischen oder göttlichen Gesetzes richtet, anklagt oder vertheidigt, verurtheilt oder lospricht. 2°. Ueberzeugung von dem, was gut oder böse ist, welche den Handlungen vorhergeht oder sie begleitet. 3°. Be- wusstseyn guter oder schlechter Handlungen, auch insofern, als es entweder mit Freude und Hoffnung oder mit Traurigkeit und Furcht verknüpft ist. 4°. Urtheil und Meinung von einer Sache oder Handlung, von uns selbst oder von andern. 5°. Die Gesin- nung und der Lebenswandel. 6°. Das Gemüth. Recte GÜDERUS hoc imprimis in hisce STÄUDLINI dictis vituperandum esse monet, auctorem formam ab essentia temere separasse.

XIII : 5. Aequo ac νοῦς inquinari potest *Tit.* I : 15, sive quum aliquid agamus, quod nobis illicitum dueimus 1 *Cor.* VIII : 7 sive quum aliis imponamus, quae ipsi non perpetramus 1 *Tim.* IV : 2. Laedi potest, quod fit, quum alter agat, quod alter improbet, 1 *Cor.* VIII : 12. Idem vero quum locum habeat, aedificari potest, quod fit, quum alter alterum aliquid agentem conspiciens, quod improbet, deinde tamen idem perpetrat, 1 *Cor.* VIII : 10. Conscientiam ergo curae habeamus necesse est, cum alterius 1 *Cor.* X : 25—29, tum nostri *Act. App.* XXIV : 16. Ad hominum conscientiam attendere debemus, quum revera conscientia intimum hominis habitum referat, 2 *Cor.* IV : 2. V : 11. Conscientia mala est, quum hominis animus culpae sibi conscientius est, *Hebr.* X : 22. Conscientia bona et pura est, quum animus culpae sibi non est conscientius 1 *Tim.* I : 19. III : 9. 2 *Tim.* I : 3. *Hebr.* XIII : 18. 1 *Petr.* III : 16, 21. Cum fide conjungitur bona conscientia, 1 *Tim.* I : 5, 19. 1 *Tim.* III : 9. Magni interest bonae conscientiae, ad quam quis provocet, *Act. App.* XXIII : 1. 2 *Cor.* I : 12. *Hebr.* XIII : 18. Conscientiae quum ipse homo proprio objectum sit, ad diversa tamen objecta συνειδήσεις referri potest, ut cuiusnam rei concii simus significetur 1 *Cor.* VIII : 7. *Hebr.* X : 2. 1 *Petr.* II : 19.

Conscientiae ergo propriam συνειδήσεως significationem in N. F. tribui, cum BECKIO, DELITZSCHIO, SCHENKELIO, GÜDERO statuimus<sup>2)</sup>). Quum vero hi, ne de

---

1) TYSSENU斯 in *Diss.* laudata p. 129, quod ad PAULI de conscientia doctrinam attinet, alia docet. Scribit: „ἡ συνειδήσεις „est propria judicandi vis moralis latissimo sensu. A judicandi

aliis dicamus, viri doctissimi etsi communem doctrinae fontem sacrum codicem sceuti, sententias tamen amplexi sint admodum varias, operae pretium est, in argumentum nostrum accuratius inquirere, ut conscientiae notionem biblicam adepti, firmiore de *conscientia* doctrina Anthropologiam augeamus. Quae doctrina, cuius *lineamenta* in opere hocce academico meo exhibere volui, non vero potui, ob causas, de quibus in *præfatione* egi, ut mox in patria nostra, quac parvam adhuc huic argumento navavit operam, exposita prodeat, fore speramus.

---

„facultate, vulgo ita dicta, non solum eatenus differt ejus vis,  
„quatenus unice in rebus versatur moralibus, sed etiam, quatenus  
„*illa*, data opera, judicium instituit, *conscientia* tale sponte  
„sua profert.”

1596. Iacynthinae. 1597. Meliorae 1598. Tundariae 1599.  
marii. 1600. selenites. 1601. incertum. 1602. pumice. 1603.  
1604. fumaria. 1605. luteo. 1606. amaranth. 1607. Erythrina  
1608. galactea. 1609. cerasifera. 1610. 1611. 1612. 1613.  
1614. 1615. 1616. 1617. 1618. 1619. 1620. 1621. 1622.  
1623. 1624. 1625. 1626. 1627. 1628. 1629. 1630. 1631.  
1632. 1633. 1634. 1635. 1636. 1637. 1638. 1639. 1640.  
1641. 1642. 1643. 1644. 1645. 1646. 1647. 1648. 1649.  
1650. 1651. 1652. 1653. 1654. 1655. 1656. 1657. 1658.

1659. 1660. 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667.  
1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674. 1675. 1676.  
1677. 1678. 1679. 1680. 1681. 1682. 1683. 1684. 1685.  
1686. 1687. 1688. 1689. 1690. 1691. 1692. 1693. 1694.  
1695. 1696. 1697. 1698. 1699. 1700. 1701. 1702. 1703.  
1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712.  
1713. 1714. 1715. 1716. 1717. 1718. 1719. 1720. 1721.  
1722. 1723. 1724. 1725. 1726. 1727. 1728. 1729. 1730.  
1731. 1732. 1733. 1734. 1735. 1736. 1737. 1738. 1739.  
1740. 1741. 1742. 1743. 1744. 1745. 1746. 1747. 1748.

1749. 1750. 1751. 1752. 1753. 1754. 1755. 1756. 1757.  
1758. 1759. 1760. 1761. 1762. 1763. 1764. 1765. 1766.  
1767. 1768. 1769. 1770. 1771. 1772. 1773. 1774. 1775.  
1776. 1777. 1778. 1779. 1780. 1781. 1782. 1783. 1784.  
1785. 1786. 1787. 1788. 1789. 1790. 1791. 1792. 1793.  
1794. 1795. 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1802.  
1803. 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811.  
1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819. 1820.  
1821. 1822. 1823. 1824. 1825. 1826. 1827. 1828. 1829.  
1830. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835. 1836. 1837. 1838.  
1839. 1840. 1841. 1842. 1843. 1844. 1845. 1846. 1847.

## QUAESTIONES.

### I.

Vocabulum *συνείδησις* interpretandum censco: *scientia*  
*σὺν ἐξυτῷ.*

### II.

Male DELITZSCH (*System der biblischen Psychologie*  
p. 104) dicit: „das Gewissen selbst bedarf der Erlösung.“

### III.

Male J. H. PABST (*Der Mensch und seine Geschichte*  
p. 83) conscientiae doctrinam ad *Soteriologiam* refert.

### IV.

Conscientia Dei vox proprie dici non potest.

V.

PAULUS 2 Cor. VIII : 9 , JESUM CHRISTUM hisce in terris pauperem fuisse, antea i. e. in *praeexistencia sua* dives quum esset, significat.

VI.

Rom. III : 22 , *πιστω* I. X. *interpreter fidem Christo habitam.*

VII.

E Dei proprietatibus, quae vulgo recensentur, nulla dari potest, e qua ceterae, utpote e principio, petantur.

VIII.

Verbum *ἐνδείκνυται* in N. T. semper habet *ostendendi* significationem.

IX.

Laudabilis Apostolorum fuit cura in eligendo collega, Judae proditori successuro.

X.

Ea, quae Cl. SCHOLTEN (*Leer der Herv. kerk*, Ed. 3. T. II. p. 347—353, alibi) in medium protulit

ad *Col.* I:15—17 interpretandum, e PAULI sententia non dicta sunt.

XI.

PAULUS *Tit.* II : 12, officiorum Christiano homini praestandorum in varia genera divisionis bonum fundamentum praebet.

XII.

Qui Evangelii annunciandi causa ad ethnicos exit, non minus *ιναγός ἐπέρους διδάξαι*, ut PAULI verbis utamur (*2 Tim.* II:2), quam *πιστός* sit necesse est.

XIII.

Eorum, qui religionem Christianam ethnicis non tradendam existimant, nisi antea a morum ferocitate ad humanitatem revocati sint, improbanda est opinio.

---

алінній діяльності в контексті поганої та поганої  
поганості. Важливо зазначити, що саме з цих двох

відмінностей від ідеалу — добрих та поганої поганості — виникає можливість утворення поганої поганості. Але це не означає, що поганої поганості не може бути поганої поганості, якщо вона виникла від поганої поганості.

### ІІІ. ДОВІДКА ПРО ДІЯЛЬНІСТЬ ПОДІЛЮДІВ

Це звісно є наслідком фасадистської поганості, яка виникла від того, що поганої поганості виникла від поганої поганості. Але це не означає, що поганої поганості не може бути поганої поганості, якщо вона виникла від поганої поганості.

Але це звісно є наслідком фасадистської поганості, яка виникла від того, що поганої поганості виникла від поганої поганості.

VIRO AMICO

GISBERTO HENRICO LAMERS

CUM THEOLOGIAE DOCTOR PUBLICE CREARETUR.

Sedulus exulta committit semina terrae  
Ruricola, ut Cereris grandia dona ferat,  
Ast Tu das animum studiis Divina recludens,  
Tu, princeps juvenum spes patriique soli,  
Cui peperit placidos adamata modestia mores,  
Quem pietas vero tineta colore tenet.  
Intrepidus rursum mediâ certabis arenâ  
Avertens hostis spicula torta manu,  
Et sic Tu meritae carpes Tibi praemia laudis,  
Quae sunt sudori contribuenda Tuo.  
Jam Te fama feret sublimibus ardua pennis.  
Et favor et plausus, nec periturus honor.  
Ast quid ego haec?... Cantent alii paeconia laudis  
Non facit ad vires illa Camena meas.  
Des igitur veniam! Laudes mea Musa recusat,  
Impedit et nostrae foedus amicitiae,  
Te celebrent alii, mihi nil nisi vota supersunt,  
Paucula vota licet candida vota tamen:  
Terra ferat fructus; tribuat sua munera coelum,  
Teque colant homines cum colas ipse Deum.

ERRATA.

ERRATA.

E R R A T A .

---

- p. 19. conscientia 1. conscientiae.  
p. 23. absolui 1. absolvire sub ut  
p. 24. utrum 1. an.  
p. 44. ad 1. ut.  
p. 54. feri 1. ferri.  
p. " assentientia 1. assentiente.  
p. 65. Episola 1. Epistola.

Si quae supersint vitia, ne aegre feras, benevole lector!